

**XIV APRILIS
DE S. LIDWIGE SIVE LIDWINA VIRGINE
SCHIDAMI IN HOLLANDIA,
PRIOR VITA**

Ex Teutonico M. S. Ioannis Gerlaci, Virginis cognati & domestici, Latine reddita & ex aliis documentis aucta, a Joanne Brugmanno Ord. Minorum, tunc per Hollandia Concionatore synchrono. quæ habetur in nostro Codice MS.

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

PROLOGVS.

[1] Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: quia ecce, ait Dominus, ego operor opus in diebus vestris, quod non omnis qui audierit credet. [Ps. 45, 9.] a Quamvis ad profectum vitæ spiritualis, morum quoque institutionem sufficere nobis deberent priorum exempla Sanctorum, qui intuentes conversationem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, imitatores ejus effecti sunt. [Deus animis corporibusque prospiciens,] Quia tamen idem Salvator ait, Pater meus usque modo operatur, & ego operor, non solum videlicet corporalia quælibet, in usum humani corporis; sed etiam spiritualia, in usum spiritus & animæ: dignum profecto est, ut qui singulis annis divinitus renovata beneficia corporalia, per incrementa frugum & fructuum, ad necessaria corporum sustentacula colligimus; multo studiosius divinitus procurata, oblata & propinata solícite, animæ & spiritus ædificativa nutrimenta quæramus, mentis in horreo recondenda, scripturæque ad posterorum ædificationem & profectum recommendemus; eo quod saluti spiritus,

cum sit nobilior quam corpus, major utique sollicitudo est adhibenda quam saluti corporis. [Ioan. 5, 17.]

[2] Horum autem vitalium ac spiritualium alimentorum animæ seminaria, cælestis Agricola, qui eadem multifarie multisque modis olim operatus est in utriusque sexus Sanctis novi & veteris Testamenti, copiosissima valde multitudine novissimis his temporibus plantavit in duplici agro, [in utroque excoluit Liduinam,] videlicet corporis & spiritus cujusdam Virginis: corpus quidem ejusdem, vomere quodam inauditarum a seculo tribulationum & infirmitatum, circumfodiendo & arando expurgans, ut fructum multum afferre posset in patientia: spiritum autem ineffabilibus divinis consolationibus, tamquam irriguo superiori, perfundens, ne ipsa spiritu pariter & corpore, in tantis tribulationibus spiritualibus pariter & corporalibus, deficeret. Quæ utræque, videlicet tam tribulationes ejus quam etiam consolationes, tantæ ac tales fuerunt, quod non solum non effari, sed nec æstimari valeant vel cogitari: quibus etsi multi simpliciter fidem & credulitatem adhibeant; nonnulli tamen (qui secundum carnem ambulantes & secundum carnis [sapientiam] abundantes, non percipiunt ea quæ sunt spiritus Dei) corde & voce contradicunt. [ultra quam capere possit carnalis sapientia.] Unde & non immerito propter tales supra dictum est, Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: quia ecce, ait Dominus, ego operor opus in diebus vestris, quod non omnis qui audierit credet: non quidem quia omnes non credent; sed tantum, quia secundum rationem carnis judicantes, non credunt, quia quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

[3] [non huic,] Nec mirum si in Virgine hac, ea quæ divinitus facta sunt, non credunt: cum etiam, ut Venerabilis Beda dicit, turbis, quæ minus doctæ videbantur, Domini facta mirantibus; scribæ & Pharisæi

eadem semper vel negabant, vel quæ negare non poterant blasphemabant: unde & in Euangelio Joannis dicitur, Numquid aliquis ex Pharisæis aut ex Principibus credidit in eum? [Ioa. 5, 48] sed turba, quæ non novit Legem; maledicti sunt. Ut autem creduli horum mirabilium in fide confirmarentur, [sed fideliter credituris] & increduli ad fidem invitarentur; pius Dominus, qui facit mirabilia magna solus, mirabilibus eam signis & miraculis, ante oculos etiam ejus propios & aliorum, glorificare dignatus est: quasi opere videretur dicere: Si ipsi non creditis, saltem operibus meis circa ipsam patratis credite. Non solum autem, sed etiam nonnumquam de celestibus demandare dignatus est; quatenus fides & credulitas adhiberetur donis ejus, quæ circa eum divinitus operabatur, [hæc scribuntur, ad excitandam devotionem,] sicut infra patebit. Quamvis igitur propriæ devotionis stimulis agitatus, horum mirabilium, quasi delicatorem ferculorum, pauca, & vere valde pauca, in hoc opusculo collegerim: non tamen hoc feci, ut mihi meæque devotioni solummodo satisfacerem; sed ut legentibus cunctis vel audientibus, de consideratione divinæ bonitatis & ineffabilis pietatis Christi Domini, erga hanc humilem suam creaturam, materia præstaretur & incitamentum devotionis: quatenus Christi bonitate considerata, ad melioris vitæ gratiam & spem consequendæ misericordiæ provocarentur.

[4] [ex testimoniis & documentis fide dignissimis.] Noverint autem qui hæc lecturi sunt, me eadem percepisse pro majori parte ex ore Domini Ioannis Walteri de Leydis; qui octo fere annis Confessarius istius Virginis fuit, atque hæc ipsamet revelante didicerat; partim ex scriptis Ioannis Gerlaci cognati ejusdem Virginis, qui multis annis in domo ejus commoratus est; partim vero ex littera, quam Rectores civitatis Schiedamensis, in testimonium infirmitatum ejus, tradiderunt Domino Ioanni Angeli de Dordraco, Ordinis Præmonstratensis de

Marienwart, qui pro tunc erat Curatus ecclesiæ civitatis ejusdem; pauca vero ex ore aliorum fide dignorum: omnia tamen per correctionem vel approbationem præfati D. Ioannis Confessoris hujus Virginis, & Ioannis Gerlaci. Quæ autem secundum veritatem conscientiæ eorum percipere potui, cautius, ut valui, scripto commendavi, rogans sancti Spiritus bonitatem & æternam divinamque veritatem, quatenus, si quæ minus consona veritati sunt scripta, ipsa publice deleat & corrigat; ne falsa veris misceantur, ac vera falsis confundantur.

INDEX CAPITULORUM.

Primus numerus Romanus, hujus Vitæ titulos, ut sunt in MS. secundus Barbarus, titulos Capitulorum Vitæ Teutonicæ, huic Latinæ respondentium, designat.

I De mirabili nativitate ejus præ aliis liberis parentum ejus: & de probitate avi ejus. Cap. 1

II De imagine B. Mariæ Virginis, & reverentia quam habebat ad illam. Cap. 2

III De initio infirmitatis ejus, & statu trium primorum annorum, & homicidio apud eam prohibito. Cap. 3

IV De refectione ejus per sequentes fere sedecim annos. Cap. 4

V De statu & infirmitatibus ejus post tres primos annos, usque ad annum Domini 1421 in profesto B. Mariæ Magdalenæ. Cap. 5

VI Testimonium Mag. Godfridi de futura hydropisi ejus, & qualiter extraxit intestina ejus: & de reliquis ejus intestinis, & carentia somni. Cap. 6

VII De reliquis infirmitatibus, eius & tertiana febre. Cap. 7

VIII De infirmo crure ejus, quod a Domino impetraverat. Cap. 8

IX De morte matris suæ, & cingulis cilicinis, quibus abhinc usque ad mortem utebatur. Cap. 9

X De statu ejus post mortem matris, & de D. Woromboldo, ac de mutua prophetia mortis utriusque. Cap. 10

XI Qualiter Dux Willelmus, Comes Hollandiæ, subvenit paupertati patris hujus sacræ Virginis: & de incendio in lectulo eiusdem Virginis exorto, atque per eamdem extincto; de illusionem quoque diaboli circa patrem ejus. Cap. 11

XII De initio consolationum ejus per exercitia Dominicæ Passionis, & per sacram Dominici Corporis communionem. Cap. 12

XIII De raptibus ejus in generali: & de modo eorum atque initio. Cap. 13

XIV Quod etiam corporaliter rapiebatur, & de hoc diversa exempla. Cap. 14

XV De mirabili claritate divina & suavitate, quæ apud ipsam in cella sentiebatur. Cap. 15

XVI Quod in nocte & hora Dominicæ nativitatis, pluribus vicibus & diversis annis, virginea ubera ejus fuerint lacte repleta: & de mirabili visione, qua hoc contigit. Cap. 29

XVII De virga, quam a flavio anterioris portæ Paradisi allatam, Angelus sanctus ei dedit, pro amissa stipula canopi. Cap. 30

XVIII Qualiter quadam vice privata ad tempus Angelica consolatione, postea ad purgatoria & cælestia loca rapta, prætiosum sertum de cælestibus reportavit. Cap. 31

XIX De cineribus quibus tertio vel quarto anno ante mortem eius, feria quarta in capite Ieiunii, Angelus Domini eam signavit. Cap. 32

XX De benedictione & gratia quam divinitus in eleemosynis suis acceperat; & primo de vino sibi divinitus in amphora proviso: & de epileptica quadam. Cap. 18

XXI Sequitur brevis recapitulatio prædictorum.

XXII De multiplicatione pecuniæ in bursa. Cap. 21

XXIII De armo porcino pauperibus largito, & de alio pro illo divinitus procurato. Cap. 22

XXIV De multiplicatis carnibus & pisis. Cap. 23

XXV Item de eleemosynis ejus, & de gloria Beatorum in paradiso terrestri, & qualiter coram eisdem videbat eleemosynas repræsentari. Cap. 34

XXVI De martyrio ejus quod a Picardis sustinuit: & de corona gloriosa sibi præparata, per idem martyrium consummata. Cap. 24

XXVII De morte Patris ejus, & neptis suæ Petronillæ; & de revelationibus quas pro tunc habuit; & de subtractione solitæ consolationis, post mortem neptis & fratris sui. Cap. 25

XXVIII De Fr Gerardo eremita & quibusdam peregrinis. Cap. 26

XXIX De liberatione viri & feminæ a fovea & periculo desperationis. Cap. 20

XXX De duorum Presbyterorum morte & a pœnis liberatione, & unius per eam ad Dominum conversione: de locis quoque pœnarum & inferno. Cap. 27

XXXI De quodam sacrista sive custode ecclesiæ in villa Ouderschie, & aliis pluribus defunctis. Cap. 28

XXXII De cautela responsionis ejus circa revelationes statuum defunctorum.

XXXIII De statu Communionis ejus: & qualiter quadam vice vidit corporalibus oculis puerum crucifixum, qui coram ea transfigurabatur in similitudinem Hostiæ sacramentalis cum quinque cicatricibus. Cap. 16

XXXIV Qualiter hæc Virgo declaravit modum Incarnationis Verbi, ad hoc arctata per adjurationem cuiusdam Doctoris Theologi ex Ordine Prædicatorum. Cap. 17

XXXV De morte D. Andreæ Curati in Schiedam. Cap. 19

XXXVI De calculo, quem usque ad mortem patiebatur. Cap. 34

XXXVII De feбри quam fratrueli suo Balduino puero procuraverat, pro memoriali eorum quæ circum eam idem puer viderat & audierat; & de febre D. Ioannis Confessoris sui. Cap. 35

XXXVIII De gratia divinæ suavitatis, quam Prior quidam apud eam experiebatur, & de gratia quam in nocte Paschali habebat. Cap. 36 & 37

XXXIX De morte eius. Cap. 38

XL De mirabili dispositione brachiorum eius post mortem. Cap. 39

XLI De ultimo cingulo eius cilicino, & de involutione corporis ipsius post mortem. Cap. 40 & 41

XLII De mirabili gloria corporis eius post mortem. Cap. 42

XLIII De concursu visitantium corpus eius. Cap. 43

XLIV Qualiter attactu immundorum hominum vivens & defuncta maculabatur.

XLV De sepultura eius. Cap. 44

CAPUT I.

S. Lidwinæ ortus, devotio erga Deiparam, voluntas servandæ virginitatis.

CAP. 1.

[5] In Occidentali parte Hollandiæ sita est civitas quædam, nomine Schiedam, a quæ etiam in Occidentali parte sui portum habet, qui mediante Mosa tendens in mare Occidentale, transitum pandit in universas mundi partes. [Schiedami in Hollandia,] In hac civitate, tempore Ducis Alberti, Comitis Hollandiæ, qui fuerat filius Lodovici Imperatoris, erat vir quidam nomine Petrus: qui etsi nobilis erat secundum seculi dignitatem & militari progenie exortus, ad tantam tamen pervenit inopiam,

quod tempore Ducis Wilhelmi, filii præfati Ducis Alberti & successoris ejusdem in Comitatu, nocturnas vigiliis civitatis custodiendo, necessaria vitæ sibi quæriraret. Pater autem hujus Petri, Joannes nomine, post obitum uxoris suæ, plus quam quinquaginta annis permanens in hac vita & viduitate, [avo Ioanne viro religiosissimo,] videlicet donec fere nonagenarius effectus est, tantam continentiam & abstinentiam exercuit, ut mulierem numquam cognosceret, ac duabus vicibus in pane & aqua per hebdomadam jejunaret, [& semel tantum in hebdomade, Dominica scilicet die in prandio, carnibus vesceretur. In cujus morte sathanas cernens quod ei appropinquare non posset aut nocere, tantum tumultum in aliis partibus domus suscitabat, ut vasa testea frangerentur, absque tamen detrimento & effusione butyri, quod in uno eorum servabatur.]

[6] Hujus vero Joannis filius, nomine Petrus, cum secundum communem modum secularium annos vitæ suæ simpliciter & in multis laboribus, [patre Petro, matre Petronilla,] pro vitæ necessariis acquirendis, expendisset; accepit uxorem, nomine Petronillam, feminam utique virtutis, de villa Ketel prope Schiedam: de qua primo genuit quatuor filios, [genere nobili sed tenui fortuna,] deinde unam filiam, de qua specialiter intentio nobis est in hoc opusculo, ac consequenter iterum quatuor filios. [Quia vero voce Dominica dicitur, Omnis qui se humiliat exaltabitur; ipse autem secundum permissionem divinam simpliciter sustinuit amittere celsitudinem dignitatis terrenæ, genuit ex ea filiam nomine Lydwich, sive Lidiam, natam tunc temporis in die Palmarum, in hora ipsa, qua in ecclesia Passio Domini cantabatur: cujus sanctitatis merita multo majorem eum reddiderunt Deo, quam dignitas humanæ generationis mundo: nam per eam nomen ejus scriptum est in libro vitæ, cujus carnalis dignitas tantum erat abolita coram seculo.] [Matt. 23, 12]

[7] In quorum omnium partu cum mater eorum tantam difficultatem pateretur, [nascitur in die Palmarum,] quod quasi per singulos, duobus aut tribus circiter diebus, laboraret: in hujus tamen filiae partu nullam penitus difficultatem patiebatur. Nam in die Palmarum ecclesiam ingressa, dum sibi tempus pariendi sentiret instare, cum celeritate reversa domum, & quasi sine magno dolore, tempore Missae, cum Passio Domini, [ut praedictum est] in ecclesia decantaretur, filiam hanc peperit, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo, decimo quinto Kalendas Aprilis. [Non autem sine grandi mysterio tale nomen est sortita: vulgariter enim nomen ejus Lydwyt, & Lydwy vocatur] ex duabus videlicet syllabis est compositum, scilicet LYD & WYT, quod significare videtur, Patere late, id est, in passionibus vel patientia dilatare: & hoc propter multitudinem utique tribulationum, quae ex ordinatione divina super eam erant venturae. Merito etiam Lydia Latine vocatur, quia spiritualiter & per imitationem operum beatos Apostolos hospicio quotidie suscipere meruit, quos Lydia, [sive Lydia.] illa Purpuraria Thyatirenorum quondam in Actibus Apostolorum corporaliter legitur hospicio suscepisse.] [Act. 16, 15.]

CAP. II.

[8] Ante ejus nativitatem contigit anthropoforitam [Anthropomorphitam: intelligit autem statuarium, qui humanas formas effingit.] quemdam, civitatem Schiedamensem ingressum, deferre secum ligneam imaginem quamdam B. Mariae Virginis, [imaginem B. V. Schiedami celebrem] quam navi impositam volebat transferre ad nundinas Antverpienses, ut illic eam venderet. Et ecce navem ipsam dum vellent nautae a littore vel a terra remove, invenerunt rem plenam miraculi. Nam cum imago tantae levitatis esset, quod eam etiam unus portare posset; ceteris quoque temporibus nautae navem quocumque vellent sine difficultate

dirigerent; nunc tamen eam viginti viri sive plures, totis conatibus laborantes, movere non poterant. Unde & considerantes finaliter, præsentiam imaginis fore causam difficultatis, admoneri quoque se per hoc quasi eadem imago locum illum eligeret, ut ibidem habitaret; anthropomorpha ille, consilio inuito, absque multa deliberatione, minus condigno pretio vendidit Rectoribus ecclesiæ civitatis ejusdem. Qui locum ei deputantes in ecclesia, singularem chorum colligatorum hominum utriusque sexus successu temporis aggregaverunt: qui nunc usque singularem reverentiam imagini eidem, in honore beatæ & gloriosæ Mariæ, exhibent devote.

[9] [octennis pia consuevit visitare,] Cum igitur hæc Virgo septem vel octo annorum esset, adeo magnam devotionem & affectum gerebat in corde ad eandem imaginem, quod cum duobus fratribus suis scholas frequentantibus jentaculum ferret, antequam domum rediret ingressa ecclesiam, eandem imaginem per Angelicam salutationem honoraret, prout poterat. Cum ergo a matre de mora reditus corripere; respondit se intrasse ecclesiam ac beatam Virginem salutasse, illamque sibi vicissim arrisisse: quo audito, mater ejus contenta quievit. Transactis igitur annis infantiae, cum pueritiæ ævum ageret, tanta corporis pulchritudine & animi industria ceterisque naturæ donis divinitus collatis cæpit pollere, ut cum duodecim esset annorum, a multis in conjugium peteretur. [duodennis nuptiarum mentionem rejicit,] Ad quod cum pater suus eam hortaretur, mater vero propter teneritudinem puerilis ætatis suaderet potius ne molestarent eam; ipsa patri constanter respondit, quod eam ad hoc nullo modo posset inducere; quin imo, si alium modum evadendi non inveniret, seipsam ita tractaret, quod eam nullus in conjugii consortium postularet. Unde rogabat quotidie Dominum, quatenus omnem carnalem & noxium amorem a corde suo

tolleret, ut ipsum solum, Deum & Dominum suum, puro corde & corpore diligere posset.

CAP. III

[10] Cujus orationem exaudiens omnipotens & misericors Deus, qui eam ab æterno sibi in sponsam elegerat, mirabili & inaudito a seculis modo, [& formæ suæ deturpationem precibus exorat.] quod in ea hominibus videbatur amabile & utile, illis quidem despicabile reddidit & inutile, sibi autem amabile & appetibile, [ut in ipsa quoque profiteretur verum, quod Apostolus ad Corinthios scribit dicens: Quæ infirma sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret; ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus. [1 Cor. 1, 27.] Hoc autem & interpretationi nominis ejus aptissime congruit: interpretatur enim Lydia, Nata ei, scilicet Domino; vel, Ædificatio ejus, hoc est, Domini. Recte enim Nata Domino dicitur, quæ mundum hunc ingressa, non humano more, nec humanis usibus & voluntatibus, sed solis divinis usibus vixit & voluntati: unde & veraciter dicere potuit cum Apostolo: Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus. [Gal. 2, 20.] Ædificatio quoque Domini congruentissime dicitur, quia non nisi divina virtute, tanta in ea mirabilia tribulationum & patientiæ ac consolationum perpetrari poterant.]

CAPUT II.

Infirmitatum Liduinæ initia & progressus, cibi potusque abstinentia mirabilis.

[11] Cum igitur, impleto quartodecimo a ætatis suæ anno, jam decimumquintum attingeret, [Morbo attrita, & utcumque sanata,] videlicet Incarnationis Dominicæ millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, ægrotabat

quadam infirmitate, de qua tamen conualuit. Et circa festum Purificationis lectissimæ Virginis Mariæ, in fine videlicet quintidecimi anni ætatis suæ (nam circa Dominicam Palmarum, sicut prædictum est, erat anniversaria dies nativitatis ejus) glaciali tempore, invitata a sodalibus suis virginibus, & a patre obtenta licentia, egressa est cum eisdem posticum domus suæ, soleis ligneis sufferratis, prout ibidem moris erat, [in glacie labitur: fractaque costa,] ad discurrendum super glaciem, pedes induta. Ubi dum quædam puella de consodalibus suis, cursu rapido transiens super glaciem, veniret ad istas ibidem stantes; & gressum ibidem figere volens, nec tamen ut volebat valens, apprehendisset hanc virginem Lydiam; ipsa Lydia cecidit super acervum quemdam fragmentorum glacialium adeo vehementer, quod minor costa dexteri lateris ejus frangebatur: ex qua fractura multa ei incommoda provenerunt. Et primo quidem apostema validum circa præfatam costam excrevit, [pro cujus curatione quamvis parentes ejus exponerent multa, non tamen poterant ei obtinere sanitatem quam optabant.

[12] Affirmabat hoc ipsum medicus quidam de Delfft, magister Andreas nomine, & quasi prophético ore prædicebat, quod si multam summam exponerent, [apostema incurabile patitur:] nihil tamen circa ejus sanitatem obtinendam proficerent. Ajebat quoque idem medicus, quod talia & tanta supernaturalia Deus operaturus esset circa eandem puellam, quod optaret, pro pondere sive tanta quantitate auri, quanta caput ejus ponderari posset, quatenus ipsa esset filia sua. Cum autem præfatum apostema a nemine curari posset, ac multo tempore de loco ad locum, de lecto ad lectum, exigente magnitudine infirmitatis transferretur; tandem sextodecimo anno ætatis suæ] in vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistæ, [cujus demum rupti pus evomit;] patre ejus accedente ut eam consolaretur, ipsa de loco in quo

jacebat exiliens, ruit super genua ipsius patris sui. In quo saltu rupto apostemate, sanies inde profluens, per os ejus, mediante vomitu, tam copiose decurrebat, quod etiam scutellis mensurabatur & in cacabum æneum transfundebatur. Cujus lapsus & vomitus occasione in tantum debilitata fuit, quod quasi mortua putabatur.

[13] [& vehementer debilitata,] Ex hinc jam cœpit continuis infirmitatibus laborare, in quibus, antequam inciperet spiritualia gustare, necessitate miseranda cogente, consolationes corporales, licet miserabiles, mendicabat. Nam primo triennio (in quorum duobus primis in sancta solennitate Paschali ad ecclesiam pro sacra communione ducta vel portata fuit) quamdiu vel pedibus incedere poterat, vel postquam officio pedum destituta baculo vel scabello uti poterat, [solam aquam appetit.] domi vel foris serpendo, quodammodo solatii gratia circuibat: fossæ nonnumquam appropinquans, aquam, quamvis turbidam & fæculentam, copiose potabat, sed mox bibitam evomebat. Ad ignem quoque veniens, si caldariam juxta ignem vel cacabum cum tepida aqua reperisset, mox inde quantum poterat bibebat, quam tamen statim per vomitum effundebat.

[14] Non autem hæc initia dolorum ejus absque miraculis extiterunt; [ab inimico quæsitum ad mortem] infra hoc namque triennium contigit duos viros, contra se invicem concitados, unum alterum evaginato gladio prosequi, ut eum læderet vel necaret; alium vero fugere in domum vel cellulam hujus Virginis, ut persequentis manus evaderet. Quem alter insecutus, cum a matre Virginis Petronilla furibundus inquireret, utrum domum suam intrasset; illa volens mendacio suo salvare fugientem, & alium a sanguine præservare, respondit, non intrasse. Deinde irrumpens cellulam ægrotantis filiæ, interrogavit, si illuc intrasset: ipsa vero respondit simpliciter, quod sic. Super quo commota mater dedit alapam filiæ, tamquam quæ

miseriæ, quam propter infirmitates suas patiebatur, etiam proditionem superaddidisset. [eidem invisibilem facit.] Tunc filia constanter respondit, se propterea veritatem dixisse, quod speraret, quod veritas occultaret eum: quod & factum est. Nam qui quaerebatur, ante quærentis se oculos stabat, sed videri penitus non poterat. Quo viso mater sua, magnifice præferens fidem filiæ fidei suæ, & amplius cœpit affici ad eam, & tolerabilius infirmitates ejus sustinere; gratias agens quod tantum malum conceptum, tali fuerat iudicio prohibitum.

CAP. IV.

[15] Post hæc in tantum invalescebant & multiplicabantur infirmitates ejus, quod omnibus viribus corporis destituta, tandem lectulo penitus decumbere cogeretur, [denique lecto affixa] ita quod in spatio triginta trium annorum ante mortem suam, terram numquam tangeret. Interim vero usque ad nonum decimum ægritudinis suæ annum, a principio, paucis valde & incredibili satis alimento utebatur; interdum scilicet modico fragmento de pomo, ad spissitudinem hostiæ, quæ pro communicandis consecratur in altari, quod tamen in tenella solet calefieri ad ignem: aliquando valde parum de pane cum modico sorbello sive haustu cerevisiæ spumantis; nonnumquam vero parum dulcis lactis. Postquam vero præ debilitate talibus amplius uti non poterat, [perparum cibi ac potus admittit,] per aliquot annos utebatur in hebdomada modico vino puro, ad mensuram quartæ partis unius quartæ, sine admixtione aquæ: quod tamen postmodum per aliquot annos oportebat cum aqua misceri. Interdum sumebat modicum zucariæ vel cinnamomi aut dactylorum sive muscatæ. Post hæc cum his amplius non poterat uti, vel comedendo vel bibendo, solam aquam sumebat, videlicet quartam partem unius mensuræ aquæ Mosalis in hebdomade, quæ per singularem Dei gratiam tantæ

suavitatis ei erat, quod omnem saporem vini excedebat, super quo & Domino gratias agebat. [Habebat quoque tunc temporis tantam gratiam a Domino, quod ex solo gustu discernebat inter aquam Mosæ defluentem ac refluentem: nam quia Mosa illic mare influit, juxta defluxum vel refluxum maris, ipsa quoque Mosa ibi defluere vel refluere videtur.]

[16] Et hæc solummodo refectio sua erat a primis tribus annis, usque ad decimum nonum fere suæ ægritudinis annum ab initio inclusive: [quod pro parte testatur littera, quam Rectores civitatis Schiedammensis in testimonium infirmitatis ejus tradiderunt; [& annis 19 omnino nihil,] scripta quoque Joannis Gerlaci cognati ejus; & postea D. Joannes Walteri de Leydis, Confessor hujus Virginis, qui hoc ab ejus ore plenius audivit.] Ab hinc usque ad mortem suam nullo penitus cibo corporali utebatur vel potu, sicut ipsa de semetipsa perhibuit. [Dicebat autem anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo secundo post Exaltationem sancte Crucis quatuor Fratribus nostris Minoribus de Brielis, quod pro tunc in octo annis non comederat nec biberat. Qui anni computati cum his qui restabant usque ad mortem ejus, quæ erat anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio simul faciunt circiter decem & novem annos.] Eo quoque tempore dicebat eisdem, quod pro tunc in viginti tribus annis non viderat solem neque lunam, neque pedes ejus terram calcaverunt: qui etiam computati cum residuis usque ad mortem ejus simul faciunt plusquam triginta tres annos. [Ex quo autem terram non tetigit usque ad mortem, vix usa est pane ad valorem unius grossi.]

CAP. V.

[17] [Ut autem prosequar infirmitates ejus & statum post tres primos annos, adjiciam reliqua prædictæ litteræ, quæ de iis loquitur usque ad annum Domini millesimum

quadringentesimum vigesimum primum in profesto B. Mariæ Magdalenæ. [vermibus a corpore ejus scaturientibus,] Igitur secundum illam litteram, quæ in hoc satis concordat cum præcedentibus, infra septem illos ultimos annos, scilicet] ab anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quarto usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum vigesimum primum, nulla re corporalis refectionis usa fuerat, nec dormierat infra præfatos annos quantum duarum noctium spatium capere poterat. Jacebatque ita miserabiliter, quod amittebat etiam intestina sua, & multi grisei vermes, pleni grisea aqua, habentes grossitudinem [extremæ partis] unius fusi, quo mulieres utuntur in filando, & longitudinem quasi articuli humani digiti, comedebant carnes ejus; [omni paene motu privata,] nec tamen ex hoc aliquis fætor generabatur circa eam. Et si quando moveri sive verti eam in lecto necesse erat; tunc oportebat corpus ejus circa scapulas, cum mappa vel alia fascia, ligando firmari: alias enim periclitabatur membratim dissipari.

[18] Præfato autem decimo quarto anno Domini usque ad vigesimum primum, [annis 17 decumbit resupina,] nullo modo moveri aut verti poterat; sed jacebat ipso septennio & ultra resupina, scilicet in dorso, usque ad mortem: nec aliquot membrorum movere poterat, excepto capite suo cum sinistro brachio & scapula. Ex eo autem tempore parco corporis sustentaculo & cibo usa est: & postea, cum nullo penitus utebatur, multum frequenter emisit sanguinem, per os, & nares, o & aures, ac per ceteros meatus corporis. Quem sanguinem cum per os propter aliquam difficultatem evomere non poterat, [copiosum sape emittit sanguinem,] eundem per occultos corporis meatus in tanta copia nonnumquam emittebat, quod totus lectus ejus quasi sanguine perfusus videbatur. [Unde & honestæ matronæ, quæ frequenter lectum ejus circumdabant, eundem sanguinem vestibus suis nonnumquam conabantur operire; malentes ex eo

maculari, quam tantum fluxum ejus ad aspectum hominum pervenire.]

[19] Laborabat autem eadem Virgo prædicto septennio, [febres tertianas patitur,] videlicet ab anno Domini millesimo quadingentesimo decimo quarto usque ad vigesimum primum, ultra hoc etiam gravissima tertiana febre [de qua infra dicetur capitulo VII] cujus accessus primo habebat cum indicibili quodam calore, quem similiter sequebatur indicibile frigus; deinde sequebatur prædictus calor, & postea iterum frigus: quæ vicissitudo durabat fere per medium annum. Postea vero habebat eandem febrem primo cum magno & indicibili frigore ejus, postea cum magno calore; qui durabat, donec hujusmodi febrium quassatio penitus cessabat. Cessante autem febre, [cum alienatione a sensibus:] ita insensibilis quodammodo permanebat, quod seipsam penitus ignorans, nec audire poterat nec loqui. Cum enim sentiret abcessum febrium imminere, aptabat se ad exercitia Dominicæ Passionis, suasque passiones illius passioni commendabat: qui eam per excessum mentis adeo a corporalibus, alienabat, quod, sicut dictum est, nec se nec cetera quælibet sciebat. Durante autem eadem febre, rubeam quamdam aquam per os in tanta copia evomebat, quod ejus quantitas infra biennium ad duo vasa taxari poterat.

[20] [Interrogata autem, nonnumquam, unde sibi tanta ac talis materia proveniret, [fatetur corpus suum piis meditationibus refici;] cum tamen nullum penitus cibum aut potum acciperet; illa econtra interrogabat, unde tanta proveniret humorum abundantia in vite, quæ tamen hiemali tempore videtur penitus arida & mortua. Dicebat enim quod tantum confortabatur in corpore de aliqua bona meditatione, quantum aliquis confortari posset, cum pretiosissimis & delicatissimis ferculis vescitur. Dicebat quoque quod nisi hominum præsentia & infirmitates suæ

obstitissent, non mirata fuisset, si propter abundantiam divinæ gratiæ, quam experiebatur, ad capacitatem vasis Hamburgensis carnes nutritisset.] Circa annum vero Domini millesimum quadringentesimum duodecimum, [intestina evomit nil grave olentia.] ex vehementia infirmitatum suarum particulatim evomit pulmonem & hepar cum pluribus intestinis, absque tamen ullo fœtore: imo quicumque ea manibus attrectasset, adeo suaviter manus ejus fere per diem redolebant, quasi species aromaticas tetigisset, sicut multi eo tempore experti sunt.

CAPUT III.

De vermibus ex corpore S. Liduinæ scaturientibus, hydropisi, & ceteris ejus infirmitatibus.

[21] Habebat quoque in corpore suo tria foramina, fere latitudinem palme habentia; [Vermibus per grande ventris foramen scaturientibus] ex quorum uno, circa ventrem posito, copiose interdum prædicti vermes fluebant. Supponebatur autem huic vulnere sive foramini emplastrum, compositum ex melle & recenti similagine tritici, ut ex illo prædicti vermes sugerent: alias enim corrosissent eam usque ad mortem: si autem idem emplastrum compositum fuisset ex veteri similagine, vermes non suxissent ex eo, sicut experientia docuit. Miscebatur quoque supradictis, in emplastri confectione, a crema lactis vel arvina de albis anguillis vel corpore: ex quibus simul mixtis composito emplastro, superponebantur eidem cineres antiquæ carnis bovinæ, in furno vel clibano siccatae & in cineres comminutæ.

[22] [Occasione hujus emplastri contigit aliquid circa eam, [adhibetur emplastrum, cui necessaria negans quidam,] quod dignum arbitror memorari exempli gratia, contra tenaces & gulosos. Dominus Andreas Ordinis Præmonstratensis, Curatus ecclesiæ Schiedammensis, de

quo infra dicitur capitulo XXXIII & XXXIV, quodam die circa carnisprivium mactaverat quinque vel plures capones, quibus Rectores civitatis ejusdem reficeret, quos ad prandium invitaverat. Cum ergo idem Curatus ingressus fuisset ad eam, ut audiret confessionem ejus, cœpit eum Virgo rogare, ut sibi daret adipem de uno capone, pro compositione prædicti emplastri. Quod cum ille recusaret, dicens eosdem capones satis fore macilentos, nec sufficere omnem adipem eorum ad impinguandum eos dum assarentur; nihilominus Virgo petiit instantius sibi unum dari; promittens se pro illa sibi reddituram unam mensuram butyri pro impinguatione eorum. Illo autem adhuc renuente, respondit Virgo, [ipsa a muribus consumpta reperit,] Donet Deus ut omnes a muribus comedantur. Cujus imprecationis celerem effectum paulo post cum gaudio renuntiavit Virgini D. Joannes Pot Presbyter, qui etiam ad tempus fuerat Confessarius ejusdem Virginis. Habebat quoque ipsa Virgo ulcus quoddam, cui remedii causa superponi solebant incisiones pomorum, qui dicuntur Metzers, quorum copiam habebat idem Curatus. [& deinde cavet talia negare,] Cum ergo quadam vice ad se ingressum rogasset Virgo, ut sibi aliqua de illis pomis daret, pro præfata necessitate sua, illeque dubitative quodammodo respondisset, an videlicet ea haberet, eo quod eis invite careret; reversus domum, cum se plura ex iis comperisset habere, virgoque nuntium pro pomis misisset; ille memor prioris maledictionis, quam circa adipem suorum caponum incurrerat, Dabo, inquit ei ex iis aliqua, ne a gliribus comedantur. His igitur per digressionem interpositis, ad id revertamur propter quod digressio facta est.]

[23] Quando ergo hujusmodi emplastra propter mutationem auferebantur, remanebant in eis pauci vermes grisei, cum nigris capitibus, longitudinem fere unguis humani digiti habentes: nec emittebant hæc emplastra vel vermes aliquem fœtorem, [Foramine illo

curato hydrops succedit,] sed magnam potius suavitate, prout multis notum est. [Eo tempore erat in diœcesi Coloniensi medicus, qui fama ægritudinis ejus pertractus, pro curatione præfati foraminis misit ei quamdam aquam, quæ in nemoribus prædictæ diœcesis tempore siccitatis cœlitus rorata, de singulari quadam herba colligi solebat. Ex hac igitur aqua, cum aqua cyndouwe permixta, cum aliqua fecisset emplastra, & prædicto foramini per aliquantos annos superposuisset; foramen illud curatum fuit & redintegratum: post cujus curationem tantos dolores ex hydropisi sensit, [& putrefactio intestinorum:] quod libenter foraminis cicatricem cultello reseccasset, si relevamen eorundem dolorum recipere potuisset.] Erat quoque eadem Virgo in inferiori parte putrefacta, unde & oportebat eamdem partem obturari cum quodam cussino sine sacculo, magnitudinem manus habente, ad hoc aptato & repleto cum molli lana: [alias enim intestina ejus penitus dilapsa fuissent. Tales autem & tantæ tamque mirabiles & magnæ & multæ erant circumstantiæ infirmitatum ejusdem Virginis, quod nec plene nec lucide verbo aut scripto poterant vel possunt explicari. Et hæc quidem ex prædicta littera, cum quibusdam superadditis, verbotenus expressa, quantam considerationem requirant, qui legit, intelligat.]

CAP. VI.

[24] [Cœpit igitur fama infirmitatum ejus longe lateque dispergi.] Eo autem tempore quo [sicut supradictum est capitulo IV] modico adhuc aquæ poculo utebatur, [quam explorans medicus,] intrabat ad eam famosus quidam medicus sive chirurgicus: Godfridus de Haga, medicus prædictorum duorum Ducum Alberti & Wilhelmi, missus ab eodem Duce Wilhelmo & uxore ejus Domina Margareta Comitissa Hollandiæ, quatenus si posset scrutaretur causam & radicem præfatæ putrefactionis viscerum ejus, salubreque remedium apponeret. Qui

quantum sibi & sexui illius licuit, visu & tactu appropinquans eidem, primo quidem non putrefacta intestina ejus, [invenit e spinadorsi procedere.] prout poterat, in pelvi recepit; deinde scrutatus interiora ventris, invenit prædictos vermes ex putrefacta medulla spinæ dorsi ejus affluere, causari vero putrefactionem judicio naturali, eo quod nullo uteretur salso. Quo facto videns se non posse in aliquo proficere, reposuit intestina ejus in ventrem sicut prius: putrefacta autem aliquam multis annis ante mortem ejus sepulta erant in cœmeterio: [aliqua vero pendebant apud eam in pertica.] [ejus intestina putrefacta suaviter fragrant.] Ex quibus postea desiccatis & cum aliis prioribus sepultis, cum particula quædam arefacta, quam apud se in pyxide reservavit, aromaticam quodammodo, sicut priora, de se fragrantiam odorantibus spargeret, & ob hoc visitationes multas & concursus volentium eandem particulam odorari pateretur, attædiata eorum frequentia, jussit & petiit a fratre suo, ut eandem pyxidem cum prædicta particula circa alia intestina in cœmeterio sepeliret.]

[28] [Hujus Magistri Godfridi instantia, medicus Coloniensis, [præfati medici pro Sancta sollicitudo,] de quo supra in præcedenti capitulo dictum est, mittebat huic Virgini aquam illam quæ de nemoribus ejusdem diœcesis colligi solet, de qua & ibidem dictum est: aliam vero, scilicet cyndouwe, ipse tribuebat: & ut post mortem suam ei non deesset, magistro Nicolao Reineri apothecario, genero suo, [& prædictio quædam,] supplicabat, ut illi ejusdem copiam semper procuraret.] Dicebat quoque idem magister Godfridus, eam infra dimidium annum hydropicam futuram, nec amplius bibituram, quando humores ejusdem ægritudinis terminos linguæ ejus per vomitum transirent. Quod & factum est, & incurrit hanc hydropisim fere decem & novem annis ante mortem suam, in quibus etiam nullo cibo, nec potu, nec somno utebatur. Quemadmodum autem ipsa nullis

naturalibus alimentis utebatur, ita & nulla naturalia superflua per secessum aut urinam emittebat. Agnoscatur in his operata divinitas.

[26] Causa autem carentiæ somni hæc erat. [More ceterorum hominum, [Superata semel generose somnolentia,] qui vel propter infirmitatem vel diabolicam tentationem, potius a somnolentia tentantur tempore divini Officii quam alio tempore; ipsa etiam eodem] tempore, quo vel exercitiis suis spiritualibus intendebat, vel divinum Officium summæ Missæ in ecclesia celebrabatur, plus solito a spiritu pigritiæ vel somnolentiæ solebat tentari. Cum igitur tunc temporis valde parum dormire posset, & graviter super hujusmodi tentatione doleret, nec ei auderet consentire; Confessor ejus, timens periculum sensuum ejus; suasit ei ne amplius resisteret, sed in quacumque festivitate sibi adveniret, quocumque tempore vel hora, se ad dormiendum aptaret. In quadam itaque festivitate Paschali, cum ab eadem tentatione sub summa Missa gravaretur, [numquam deinde dormit Lidwina.] ipsaque e diverso eidem violentissime resisteret; [quemadmodum in prima illa tentatione cælesti, quæ Angelos eidem consentientes de cælestibus ejecit; alii qui resistentes in humilitate perstiterunt, ne amplius peccando cadere possent divinitus confirmati sunt; ita & ipsa peracta hac una victoria de somnolentia,] divinitus ita contra eam roborata est, quod usque ad mortem nec dormiret, nec a somnolentia tentata fuerit.

CAP. VII.

[27] Alias quoque quamplurimas patiebatur infirmitates; videlicet dolores capitis excessivos usque ad mortem, & dolores dentium multiplices. Sæpissime etiam usque ad mortem febres patiebatur diversas, [Patitur dolores capitis, dentium,] & sicut prædictum est hydropisim

plusquam decem & novem annis ultimis usque ad horam mortis. [Sed & epidemiæ morbum, [hydropis,] cujus simul & semel quadam vice tria habebat apostemata.] Calculum quoque prægrandem ante mortem [cum quo, sicut infra capitulo XXXIX, moriebatur. Quantum vero crescebant in ea corporales ægritudines & corporaliter ab iis deficeret, [calculi,] tantum augebatur in ea fortis ut mors dilectio Dei & proximi; adeo ut, præ abundantia dilectionis, ausa sit Deum precibus quodammodo provocare, quatenus eas super se multiplicaret. Nam cum [quindecim fere annos ante mortem suam, regnante pestilentia, ipsa ante omnes] duo apostemata pestilentia haberet, [unum in inguine, & aliud in pectore circa cor] petiit a Domino, [apostematum duorum pestilentium,] ut [si hæc ab illo & de beneplacito ejus forent] tertium quoque sibi superadderet, ob reverentiam sanctæ Trinitatis: cujus preces Deus exaudiens, destinavit ei tertium in gena. Per triennium autem vel amplius ante mortem ejus aliud pestilenticum apostema supervenit sibi in inguine, quod introrsus adeo computruit, quod fragmenta carniū plura frequenter ex eo traheret. [quibus tertium addipetit;] [Hujus apostematice reliquias in interioribus corporis sui reservavit usque ad mortem. Et ut paucis multa perstringam, omnibus generaliter infirmitatibus, quibus communiter homines gravari solent, laboravit, quas mirabili & inaudita a seculo patientia sufferebat, amore Domini nostri Iesu Christi pro se crucifixi, qui multo plura pro salute generis humani pertulerat.

[28] [rupturam in fronte & labio,] In quoque habebat fracturam, tendentem usque circa medietatem nasi; similiter & in inferiori labro & mento; qua nonnumquam adeo gravabatur ex coagulatione sanguinis in ea facta, quod perfecte loqui non poterat. Dexter oculus ejus omnino cæcus erat: sinister vero adeo debilis fuit quod non poterat materiale lumen sustinere vel videre: quare

etiam non utebatur eo, neque per diem neque per noctem, sed continue in tenebris jacebat. [Si quando enim materiale lumen contingeret eam videre, quod altari quod erat in cellula ejus resplendebat, [visus impotentiam,] vel ob nimiam apertionem cortinæ lectuli ejus, sive propter amotionem asserum parietis ejusdem cellulæ suæ (quod factum fuit tempore incendii, de quo infra capitulo XVII, quo quasi tota civitas illa combusta fuit, ut per foramen parietis illius de domo auferretur, si eam incendium invasisset) statim, propter hujusmodi quaecumque lumen, oculi ejus vehementer cruentabant].

[29] Per decem & septem aut per decem & octo vel plures annos ante mortem suam, per annum patiebatur febrim triduanam: quo facto interrogavit eam Angelus suus, [febrim tertianam, idque pro animabus Purgatorii.] an haberet affectum amplius eamdem febrem patiendi, & hoc ad liberationem amicorum suorum qui in purgatorio erant. Cumque ipsa paratam se fore usque ad mortem responderet, dixit Angelus, quod eam passura erat usque ad mortem, sic tamen quod per eam liberaret de purgatorio omnes usque ad nonum gradum consanguinitatis sibi attinentes & alios innumerabiles. [Dicebat quoque idem Angelus, quod omnes quos sic vel suis precibus de purgatorio liberaret, vel verbo exhortationis aut orationibus ad emendatiorem vitam reduceret, in futura vita sub ipsius protectione futuri essent, [interim pollet pleno sensis,] atque ipsa eis tamquam princeps & domina præesset]. Patiebatur igitur præfatas febres ita pœnaliter, quod nulli hominum comprehensibile erat aut effabile: quartanas quoque [& interdum quotidianas. Licet autem tantis gravaretur infirmitatibus, tam plenum tamen habebat sensum, rationem quoque tam vivacem & memoriam, quod cum multi etiam de longinquis partibus gratia devotionis aut consilii frequenter eam visitarent, raro tamen quis ab ea recederet, quin sanum consilium reportaret].

[30] [Non solum autem in spiritualibus sed etiam in corporalibus quasi per medicinalia, [& gratia sanitarum,] quæ nescio unde didicerat, multis subveniebat: multasque feminas, partu gravatas & periclitatas, consiliis suis relevabat. Inter hæc autem non inflabatur, nec magni aliquid de se vel sua in presenti statu vel futuro gloria præsumebat; [cum fructu se visitantium.] sed in humilitate gressum mentis figens, patientissime quoque omnia ex caritate ferens, quasi post hanc vitam purgatorium adhuc passura esset, valde timebat. Tantam apud Dominum obtinuerat gratiam, quod, sicut domestici ejus ex ore ipsius referebant, Angeli sancti numerare solebant eorum vestigia, qui causa devotionis eam visitabant. Quapropter cum visitantes eam nonnumquam hac de causa se causarentur lassari, illa consolans eos hortabatur ne super hac fatigatione dolerent, propter causam prædictam.]

CAP. VIII

[31] Instante quadam vice sacro Quadragesimali tempore, cum feria tertia ante caput jejunii, secundum morem temporis illius, auditu perciperet homines circa cellam suam in platea lusibus & dissolutionibus vacare; orabat Dominum, ut, [novum in crure dolorem impetrat.] si sibi bene placitum foret de ea, vel ipse ea quæ patiebatur circa ipsam operaretur; hoc sibi per signum aliquod novæ ægritudinis ostendere dignaretur. Quam orationem ejus Dominus exaudiens, tradidit ei novam quamdam molestiam in uno crurium ejus; cujus incommodo adeo vexata fuit usque ad proximum tunc Pascha, quod conscia propriæ infirmitatis, non audebat amplius postulare augmentum suarum infirmitatum. Solita tamen erat dicere in quotidianis infirmitatibus suis, quod adhuc eas vellet continuare libenter per quadraginta annos, imo usque ad finem mundi, pro conversione

cujuslibet peccatoris, aut pro liberatione cujuscumque animæ de purgatorio.

CAPUT IV.

Quid occasione matris ac patris sui pertulerit Liduina. Tempus mortis suæ a pio Sacerdote intelligit, eique vicissim indicat quando sit moriturus.

CAP. IX

[32] Transactis ab exordio ægritudinis suæ octo annis, scilicet anno Domini millesimo quadringentesimo tertio, [Morituræ matri omnia sua merito offert,] mater ejus Petronilla ægritudinem incidit, de qua & mortua est. Cum igitur morti appropinquans conquereretur se minus juste vixisse, diceret tamen se libenter velle mori, in tantum quod nollet ne minimum quidem vermiculum pro se mori, ut ex hoc ipsa mortem evaderet; petiit ipsa a filia sua, quatenus ipsa meritis & intercessionibus suis sibi post mortem subveniret. Quo audito filia compuncta, & matris cordialiter compassa, hortataque eam ut flagellum Domini patienter ferret, & mortem; obtulit & tradidit atque resignavit eidem, pro subventionem ejusdem, quidquid vsque tunc in virtutum exercitiis & laboribus ac tolerantia patientiæ meriti consecuta fuisset. Quod cum mater ejus gratanter accepisset, ipsa videns, vel potius putans, [& quasi damnum restauratura cingulo cilicino induitur:] se evacuatam omnibus operibus bonis quæ prius habere poterat, accinxit se quodam cingulo cilicino, trium pollicum latitudinem habente, quasi ad inchoandam novam pœnitentiam. Quo post aliquot annos, propter humores hydropicos, corpus ejus & cutem penetrantes, satis attrito & ideo deposito; alio rursum, & successive pluribus aliis, prioribus putrefactis atque rejectis, accingitur; donec cum ultimo eorum de hac vita migraret.

[33] [de quo mira quædam memorātur:] [Horum unum, sicut infra dicitur capitulo XXIX, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, cum posita apud infernum videret quodam Curatum ecclesiæ, in tormentis; præ terrore & angustiis quas ibidem patiebatur, a corpore ejus crepuit; non in vinculis ligaturæ, sed in medio & in integro loco. Ultimum vero, a D. Ioanne Walteri Confessore suo comparatum, quo fere per triennium accincta fuerat, post mortem ejus solutum quidem a corpore, sed integrum ex omni parte & in vinculis ligaturæ, miraculose apud eam repertum est. a De his cingulis in singulorum locis dicitur] Utebatur etiam ad tempus camisiis laneis, a sororibus tertii Ordinis sibi factis, quarum manicis vestiri solebant brachia ejus, interiori vero parte anteriora corporis ejus operiri, posterior autem pars in cervice & colle ejus relinqui.

CAP. X

[34] Post mortem autem matris suæ, relicta sibi ab ea clenodia argentea & alia quælibet utensilia, propter necessitatem, [matris clenodia distribuit in pauperes,] valde minus condigno pretio vendidit; pretiumque pecuniæ inde sumptum tam large pauperibus erogabat, quod ad extremam paupertatem devenit. Nam quamdiu poterat, utebatur quidem lecto de plumis; sed cum per multitudinem vulnerum eundem ferre non posset, eo quod, consumpto pulvinari plumarum tegumento, eædem plumæ adhærentes indurarentur in vulneribus ejus; ablato lecto, jacebat ad tempus super nuda stramina; & etiam per triennium nudo dorso super durum asserem de fundo vasis sumptum. [sustinet acerrimum frigus.] In illa quoque valida & asperrima hieme, quæ circa annum Domini millesimum quadringentesimum octavum in tantum invaluit, quod multorum præcedentium & sequentium annorum hiemes, tam temporis longitudine quam frigoris acerbitate, excederet; ex vehementi nimis

frigore & nuditate, frequenter in tantum obrigit, membraque adeo nigrescebant, quod quasi truncus emortuus sine sensu & congelatus videretur: oculorum quoque ejus lacrymæ ex gelu in glaciem stringebantur, adeo quod videre non poterat nisi mediante igne resolverentur: aliaque quamplurima incommoda patiebatur, ob quæ, nisi Auctor naturæ supernaturaliter eam rexisset & gubernasset atque aliter de ea disposuisset, indubitanter mortua fuisset.

[35] In quibus omnibus & hujusmodi multis necessitatibus, cum ipsa juxta vocem Apostoli pauperum semper memor esset, adeo quod, per subtractionem propriorum necessariorum, eorum necessitatibus succurreret; divites tamen hujus seculi & qui in deliciis ac opibus suis gloriabantur ejus penitus obliviscebantur. [Heb. 13, 2] [Ad eam in visu cognitam,] Eo tempore inter multos religiosos Patres, gratiæ spiritualis expertos, affectu caritatis familiaris ei erat venerabilis Pater D. Woremboldus, quondam Confessor & Rector Sororum tertii Ordinis ad S. Cæciliam in Trajecto [qui etiam pro cordis sui puritate crebris divinarum revelationum consolationibus ferebatur visitari. Ad hujus autem Patris notitiam non humano indicio pervenerat, sed divina revelatione]. Nam cum ipsa, circa medietatem fere temporis ægritudinis suæ, in festivitate Dominicæ Annuntiationis & Incarnationis, ad cælestium contemplationem raperetur; contigit eundem D. Weremboldum eadem hora ad eadem similiter rapi: atque ex hac simul & semel utrique facta contemplatione, mutuam cognitionem, quam prius non habebant, conceperunt.

[36] [accedens D. Woremboldus,] Unde & idem venerabilis Pater, cupiens eam etiam corporaliter agnoscere & videre, quam ita in spiritu cognoverat; ingressus ad eam, oculoque cordialis compassionis intuitus calamitatem ejus, primo quidem dedit ei triginta

circiter grossos pro duobus linteaminibus emendis; ac deinde ingressus ecclesiam, consensu ambone, in sermone quem loquebatur ad populum, gravibus increpationibus tenaciam & immisericordiam eorum castigavit; utpote qui de sua abundantia tali creaturæ Dei, in tanta necessitate degenti non subvenirent. [intelligit se usque ad Pentecosten victurum,] Et merito: probata namque virtus corripit insipientes. Hic igitur reverendus Pater, transacto fere medio tempore ægritudinis hujus sacræ Virginis, ingressus ad eam, cum inter cetera mutua colloquia diceret, sibi ante Pascha divinitus quodammodo revelatum, quasi ante idem Pascha transiturus esset de hoc mundo ad Patrem. Illa e diverso respondit, expectandum sibi potius fore usque ad futuram Pentecosten [quodque ipse eam post Pascha esset visitaturus. Quod quia verum fuit rerum postea probavit eventus: nam obiit in vigilia Pentecostes.]

[37] [prædicitque ipsi passionis suæ tempus dimidium superesse.] Deinde cum ipsa conquereretur se gravari ex prolixitate infirmitarum suarum, ille respondit, oportere eam adhuc earumdem patientem tolerantiam amplexari, eo quod forsitan medium temporis earum implesset. Et quidem hoc ita utrimque contigit futurum, prout rei postea probavit eventus. Dicebat autem eam in cælestibus fundamentum valde latum & amplum collocasse, cujus structura superædificanda brevi tempore non poterat consummari. [Defunctus autem prædictus venerabilis Pater post novem fere dies, dilatus est ab aspectu gloriæ divinæ faciei, sicut huic Virgini revelatum fuit] Qui cum adhuc ægrotaret, Sorores quædam de Schiedam in Vigilia Pentecostes ad hanc ingressæ Virginem, dicebant se velle transire Trajectum, ad visitandum Patrem suum sic ægrotantem. Quibus illa respondit, quod quantocyus properarent, si eum vellent videre viventem. Cum ergo de vespere Trajectum intrarent, audiebant solenniter pulsari campanas, pro exequiis illius quem venerant visitare.

CAP. XI

[38] Pater quoque hujus sacræ Virginis, Petrus præfatus, ad tantam, sicut prædictum est, [Patri Sanctæ, inopiam fortiter toleranti,] inopiam pervenerat, quod ut sibi vitæ necessaria procuraret, seipsum ad custodiendas nocturnas vigiliis civitatis Schiedammensis pretio qualicumque exposuerat: non enim volebat eleemosynas filiae devorare, quas dicebat esse peccata hominum; sed potius ut ipsa eas in pios usus expenderet. [Vnde & in prædicta valida hieme, de qua in præcedenti Capitulo dictum est, adeo aggravatus fuit hujusmodi vigiliis, quod contractionem majoris pedicæ dexteri pedis sui ex frigore reportavit.] Quo tempore intravit prædictam civitatem præfatus Dux Wilhelmus, Comes Hollandiæ, cum uxore sua Domina Margareta Comitissa & alia multa comitiva: qui Dux, comperta paupertate ejus, compassione motus propter reverentiam sanctitatis filiae ipsius, jussit ei [ut, quantum sibi sufficere putaret, pro annuis expensis & necessitatibus, fiducialiter peteret ab eo. Cum igitur ille simpliciter postulasset] duodecim coronatos Franciæ; [Dux ipse miratus modestiam petentis, [Dux Wilhelmus sustentationem concedit;] postulatos coronatos jussit ei] singulis annis dari; [asserens se etiam paratum ad duplicandum eos,] ne tantæ necessitati subjaceret vel miseriam. [Et primo quidem fideliter, successu vero temporis tepidius dati sunt ei.]

[39] [incendium circa se ortum] Cum autem post mortem matris ipsius sanctæ Virginis, pater ejus adhuc vigiliis civitatis perageret; quadam vice absente patre de vespere, frater ejus (qui & ipse post patrem vigiliis noctis in civitate observabat) posuerat candelam ardentem secus caput lectuli ejus, in eminentiori loco anguli. Quæ decidens in stramina, cum magnam partem straminum, in quibus jacebat, combussisset, ipsa Virgine suis devotionibus & exercitiis facie tecta intendente; cum

crepitantibus incendiis ad se reversa, apertis oculis in medio ignis positam se cerneret, nec adesse qui extingueret, manu sinistra omne incendium excussit extinxitque, [illæsa ipsa restinguit.] absque tamen læsura manus ejusdem, admirantibus cunctis, qui mane facto ad eam ingressi, ex combusto pulvinari & lecto videbant quæ facta fuerant, ipsam vero in nullo læsam. Quamvis hic mentio lecti fiat, cum tamen supra dictum sit non eam in lecto sed in straminibus jacuisse, non ipsa hoc lecto utebatur, sed vel filius vel filia fratris ejus, qui ei diu noctuque successu temporis serviebant; ipsa vero circa lectum in straminibus jacebat.]

[40] [senem patrem in obeundis ecclesiis assiduum,] [igitur præfatus Petrus, pater hujus Virginis, mediante eleemosyna a prædicto Duce Wilhelmo sibi concessa obtento victu & vestitu, iisque contentus, desertis vigiliis frequentabat ecclesiam, ceterisque suis devotionalibus prout poterat intendebat: quod cernens sathanas & ejus devotioni invidens, commenta nequitiae suæ illi parabat. Cum enim jam præ senio tantæ debilitatis effectus fuisset, quod vix incedere valeret, quin ob modicam occasionem cadendo frequenter læsus rediret domum; ita tamen ferventer visitabat ecclesias, quamvis contra voluntatem filiae propter frequentes hujusmodi lapsus & læsuras, quasi ætatem adhuc juventutis & adolescentiæ perageret. Quadam igitur vigilia Pentecostes, reclamante filia, egressus est ut transiret ad Vesperas: & ecce obviam habuit diabolum, in hominis specie sibi noti, qui invitabat eum ut paululum pariter irent spatiatum extra civitatem, quasi satis tempestive adhuc venturi essent ad Vesperas. [a dæmone in fossam proturbatum audiens,] Cumque ille vere crederet eum esse hominem, nec adverteret diaboli nequitiam, consentiretque ei; venerunt simul extra portam civitatis, ad locum qui dicitur Damlaan. Et ecce subito diabolus irruens, in eum, ipso nec vidente nec sentiente, projecit eum in fossam & disparuit. Ubi cum mergi

inciperet, contigit quemdam aurigam sibi notum, præter consuetudinem suam cum curru per eandem viam de agro redire ad civitatem: [vehementer consternatur.] qui videns Petrum in fossa jacentem, & sibi ipsi in nullo subvenire valentem, extractum & curru impositum vexit in civitatem; statimque cunctorum aures percussit rumor, quasi Petrus esset submersus & mortuus. Quæ fama cum ad aures quoque filiæ pervenisset, in tantum conturbata fuit, quod semper hanc vigiliam Pentecostes, ob miseriam patris, in memoria habuit.]

CAP. XII

Hæc igitur & valde breviter, imo quasi nulla in comparatione omnium quæ corporaliter passa est, dicta sunt simpliciter: [quæ quanti ponderis sunt, [Tot ejus afflictionibus] qui poterit, attendat.] Nunc vero ad considerationem spiritualium charismatum, quibus eam Dominus, Deus & sponsus suus, ungere dignatus est, [& tribulationes ejus lenire præ participibus suis, quemadmodum eam præ illis flagellavit, pauca nihilo minus & vere valde pauca de innumerabilibus colligendo,] transeamus. Sed ad hæc enarranda quis idoneus? [respondit consolationum multitudo.] Initium tamen spiritualium ejus consolationum erat in exercitio Dominicæ Passionis & in sacra Dominici Corporis communionem. [Nam ne in tantis tribulationibus infirmitatum suarum præ impatientia deficeret, pius Dominus, verus paraclitus & mærentium consolator, multifarie multisque modis, diversis videlicet consolationibus divinarum revelationum, quasi lævigativis unguentis, die noctuque dignatus est eam reficere; ut sicut scriptum est, secundum multitudinem dolorum quæ erant in corpore ejus, etiam consolationes divinæ lætificarent animam ejus.] [Ps. 93, 19]

CAPUT V.

**Initium & modus divinarum consolationum & raptuum
S. Liduinæ.**

[42] Transactis itaque tribus vel quatuor annis ab exordio infirmitatum suarum, [Primi triennii infirmitates molestissime ferens;] cum adhuc more ceterorum infirmorum potius sanitatem corporis affectaret, quam ita languere, & super præsentibus tribulationibus nonnumquam murmuraret; videndo quoque consodales puellas, quæ gratia visitationis interdum ad eam intrabant, sanas & incolumes atque gaudentes, se autem languere; ab hinc adeo nonnumquam dolebat, quod etiam amarissime fleret, nec aliquam consolationem a quocumque posset admittere. Ingressus ad eam Confessor suus D. Ioannes Pot, qui eam bina pro tunc vice per annum communicare consueverat; cum nec ipse eam quibuscumque consolationibus posset inducere, ut ab huiusmodi se lacrymis & doloribus temperaret; [docetur solatium petere ex Dominica Passione:] suasit ei ut se divinæ voluntati conformaret, & in Dominica passione se exercitaret; spondens quod ea mediante faciliter consolationem reciperet. Sciscitata igitur modum huiusmodi exercitationis, & ab eodem Sacerdote modo accepto, cum se secundum traditum modum exercitare vellet, nec farinam Propheticam eidem inesse gustaret, quasi mors in olla fuisset, irruente statim fastidio, quidquid acceptaverat, a corde, quod est meditationum sedes, abiecit.

[43] [quod primo difficile,] Deinde cum ille [quemadmodum S. Hieronymus dicit, Labor improbus vincit omnia] eam hortaretur ut sibi ipsi aliquam violentiam in his faceret, qua fastidium hoc superare posset, illaque suadenti consentiret; tandem per violentiam inducta consuetudo successu temporis tantam ei generavit suavitatem, quod dicebat, quia si per unam salutationem Angelicam potuisset sanitatem corporis

recuperare, [deinde usu factum est ei facillimum.] non tamen fecisset aut optasset. Unde & suavitate Dominicæ Passionis illecta, historiam ejusdem Passionis, secundum modum septem Horarum Canonicarum in septem partes divisam, statutis temporibus diu noctuque cogitando retractabat: in cujus exercitiis, sicut dictum est, tanta suavitate replebatur & gaudio, ut jam non ipsa, sed ille cujus Passionem recogitabat, versa vice videretur sustinere, quæ ipsa hactenus videbatur pati. [Mat. 10, 20] [Et vere sic erat. Nam quemadmodum ipse ait, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis: ita & de eodem scriptum est, Agnus qui occisus est ab origine mundi, id est, ab iis & pro iis qui fuerunt ab origine mundi. [Ap. 5, 12] De hoc quoque supra dictum est in Capitulo V, & infra dicetur in Capitulo XIV de statu raptum ejus. In quibus exercitiis Dominicæ Passionis & ceteris orationibus suis tam indeclinabilem & infallibilem quodammodo consuetudinem acquisierat, quod quemadmodum per horologium, ita & ipsa per eadem certitudinaliter discerneret nocturno tempore.]

[44] [similiter Communicare utiliter docta,] Eodem quoque tempore præfatæ ariditatis suæ, cum eam idem Sacerdos communicaturus esset, ostendens ei sacram & incontaminatam Hostiam, inculcabat ei seriose satis & affectuose, quatenus aspiceret & susciperet eum, quem in manu tenebat; sciens pro certo quod ille foret Dominus Deus & Creator suus, qui pro ipsa fuerat incarnatus & passus & mortuus, quodque omnem quam patiebatur tribulationem copiose esset remuneraturus: quibus illa verbis adeo compuncta fuit, & quasi quibusdam igniferis amatoris jaculis vulnerata, quod, quemadmodum prius præ dolore cordis & impatientia, ita & nunc per quindenam fere vel amplius non poterat abstinere a lacrymis compunctionis & amoris, [deplorat priorem suam impatientiam:] dolens & flens pro cæcitate præterita & stoliditate, in qua ita impatiens fuerat: in tantum quod

nec matris nec cujuscumque consolationem admittere poterat, nec saltem causas lacrymarum indicare. Ex hinc jam cœpit frequentibus consolationibus, licet non per raptum contemplationis, divinitus tamen refoveri; nec tamen interrogantibus valebat causam tantarum lacrymarum suarum patefacere. Utebatur autem per divinam dispensationem hujusmodi consolationibus octo ferme annis, antequam extra sensus corporeos extatice rapi inciperet.

[45] [& duobus hisce mediis] [His igitur duobus, id est, Dominici Corporis sacra communione & ejusdem Passionis exercitatione, quasi duobus quibusdam brachiis amorosis amplexata pro parte Dilectum, per patientiæ ejus imitationem; ex hinc fiducialiter dicere poterat, quod in amoris Canticis sponsæ voce dicitur; Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. [Can. 1, 12] Nam quia more myrrhæ, quæ mortuorum cadavera præservat a putrefactione, ita & ipsa se virtute hujusmodi sacræ Communionis & exercitationis Dominicæ Passionis ab impatientia & murmure, quibus spiritualiter corrumpi poterat, sanari sentiebat; non immerito eadem, tamquam efficacissima suæ ægritudinis medicamina, secum deferre & commorari in cordis hospitio curabat.]

CAP. XIII

[46] [Cum igitur secundum mensuram divinarum consolationum, [ad summam proficiens tolerantiam] proportionaliter etiam in patienti tolerantia, imo & in amore adversitatum proficeret; ad eum usque gradum divina miseratione perducta est, ut de illorum numero fieri mereretur, de quibus fortissimus in tribulationibus & excellentissimus cælestium contemplator Apostolus Paulus ait; Sive sobrii sumus, vobis: sive mente excedimus, Deo.] [2 Cor. 5, 13] Rapiebatur enim in extasi & excessu mentis, [cœpit frui divinis raptibus,] sed non

erat in ejus raptu rara hora vel brevis mora. Cum enim die quadam ingressus esset ad eam Religiosus quidam; interroganti eam super statu suo & super patientia tribulationum suarum, respondit sese excessive satis & super vires suas gravari, ita ut facile deficere posset, nisi pius Dominus eam baculo consolationis suæ sustentaret. Dicebat autem se quasi omni nocte, per longum spatium temporis, videlicet, interdum unius horæ interdum plus vel minus, rabi ad cælestia: quorum deliciis adeo reficiebatur, quod non solum tolerabilis, sed etiam delectabilis sibi foret amarissima, quam patiebatur, amaritudo.

[47] [etiam ad visiones diversa:] Rapiebatur autem & ad diverss visiones, scilicet ad gaudia regni cælestis & paradisi, ad visionem purgatorii quoque, ut videret & videndo compateretur, compatiendo quoque pœnitentiam ageret pro iis, qui ope ejus indigebant. Ad diversa etiam loca orbis terrarum rapiebatur, loca videlicet Terræ-sancte, Urbis Romæ, & ad alia plura loca sacra & monasteria, ut Reliquias Sanctorum illic constitutas devotionis affectu visitaret: nec solum unum aut duos vel tres, sed fere viginti quatuor annos, & quasi omni nocte, in his raptibus continuavit. Certis tamen ex causis aliquoties hujusmodi ad divina raptibus carebat, sicut infra dicitur capitulo XXVI & XXVII. [Quorum raptuum occasione cognoscebat multas etiam ecclesias & monasteria, dispositionem & modum structuræ earum; personas quoque religiosas, quas numquam ante viderat, etiam nominatim cognoscebat, & qualia circa eas divinitus acta fuerant, aliis nonnumquam referebat. Quod ut clarius pateat, aliqua referam, quæ ab iis quibus & de quibus eadem dixerat, percepi.]

[48] [quo fiebat ut multa absentia sciret.] [Priori cuidam aliquando dixerat, quod ita cognoscebat monasterium ipsius & ecclesiam sicut ipse. Eidem quoque quadam vice

dicebat, quod ipsa per noctem, dormientibus Fratribus, solebat visitare monasterium ipsius & dormitorium; quodque fere per singulorum Fratrum lectos singulos Angelos sanctos stantes videbat. Erat quidam juvenis Henricus nomine, de Haga oppido Hollandiæ, quem ipsa corporaliter numquam viderat, qui divina gratia inspiratus, nescientibus parentibus, habitum sanctæ religionis in monasterio Carthusiensium prope Diest susceperat: cujus pater, Wilhelmus nomine, nesciens quid circa filium suum factum fuerat, ingressus domum hujus Virginis, audivit eam se ex nomine & cognomine reverenter satis vocantem, prospera filio suo imprecantem, ac super iis quæ divinitus circa eundem filium ejus facta fuerant quodammodo congaudentē. Super quo ille admiratus, cum eam interrogasset causam hujus congratulationis, illa stuporem stupori ejus superaddens, respondit, eum in supradicto monasterio sanctæ religionis habitum induisse. Hoc ego ipse ab ejusdem Fr. Henrici ore precepi. Erat alius Religiosus, natione Dordracensis, professus in Eemsteyn, quem vice quadam cellulam Virginis hujus ingressum, ipsa Virgo gratiose satis & ex proprio nomine salutavit; cum eum, licet prius semel vidisset, nunc tamen corporaliter non videbat. Super quo ille admiratus, cum eam interrogasset, unde se adesse nosset; illa simpliciter: Quia Dominus donavit hoc. Istud ego similiter ab ore ejusdem Religiosi audivi.]

[49] [ducebatur autem illuc ab Angelo suo,] [Cum autem, sicut dictum est, ad talia loca raperetur, complebatur in ea divinitus quod Moysi & filiis Israel, ex Ægypto ad Terram promissionis properantibus, a Domino dictum est: Ecce ego mitto Angelum, qui præcedat te & custodiat semper, & sit ductor itineris tui]. [Ex. 23, 20] Visitabatur enim sæpissime & tangebatur ab Angelo suo sancto, quem ita personaliter cognoscebat, sicut amicus amicum suum. Similiter cognoscebat Confessorum suorum

Angelos, aliorumque familiarium suorum & multorum hominum. Apparebat autem idem Angelus diversimode, & interdum in forma viri pulcherrimi, semper autem in magna claritate. Nonnumquam claritas illa tanta erat, quod si mille soles invicem lucerent in virtute sua, non tamen possent æquiparari vel assimilari claritati ejusdem Angeli. Interdum vero minor erat hæc claritas. Si vero propter frequentiam visitantium se aliquando turbabatur, & ob præsentiam atque attactum quorumlibet hominum inhonestorum puritas ejus, [etiam ad labeculas quasdam expiandas.] ut assolet, maculabatur; propter hujusmodi qualescumque maculas & inquietudinem, privabatur Angelicis visionibus & raptibus divinis.

[50] [corpore interim velut exanimi remanente;] Quando ergo primo rapiebatur, in illa indicibili nobis separatione spiritus ab animali corporis vigore, tantam circa vitalia pectoris & corporis sentiebat angustiam, quod vix prævalens trahere anhelitum, putabat se morituram: postea autem in hujusmodi raptibus propter consuetudinem assuefacta, non sentiebat tales angustias. Et cum spiritus ejus ad prædicta loca raperetur, corpus ejus quasi mortuum & exanime remanebat in lectulo, adeo quod siquis illud tetigisset, ipsa non sensisset. Deinde Angelus nonnumquam apprehensa manu ejus, primo ducebat eam ad altare chori Beatæ Virginis ecclesiæ Schiedammensis: ubi cum orasset aut Beatam Virginem salutasset, statim post orationem ducebat eam versus Orientem, per amœna loca, rosarum & liliorum ac aromatum atque [quandoque per loca amœnissima rapiebatur,] omni genere florum consita & respersa. Quibus locis cum appropinquasset, & ut ea ingrederetur ab Angelo invitaretur, illaque propter eorundem reverentiam non auderet intrare, scilicet ne eadem pedibus conculcaret; tandem illo affirmante quod a se non forent conculcanda; illa, sicut admonebatur & invitabatur ingrediens, præcedentem quocumque ibat

sequebatur. Interdum autem iidem flores rosarum & liliorum tantæ altitudinis erant & densitatis, quod dum ipsa quodammodo causaretur se eos non posse penetrare, apprehensam eam [sicut quondam Habacuc Prophetam] Angelus transferebat per eosdem, & transponebat in eum ad quem pergebant.

CAP. XIV

[51] [Beatus Apostolus Paulus, loquens de raptibus contemplationis suæ, ad tertium cælum & in paradisum, quamvis asseveret se audivisse arcana verba quæ non licet homini loqui; affirmat tamen se nescire, utrum in corpore vel extra corpus ad eadem raptus sit: hæc autem Virgo sancta, [& ad loca sacra etiam corporaliter;] quæ etsi præ invaletudine incedere in oculis hominum nequibat, diversis tamen modis quodammodo certificari meruit, quod] etiam corporaliter ad diversa loca rapti meruit. [2 Cor. 12, 4] Dicebat autem quod ita sicut jacebat in lectulo sive straminibus, præ vehementia mentalis elevationis, etiam cum ipso lectulo & corpore nonnumquam ultra solarium cellulæ, in qua jacebat, sursum elevabatur. In exercitiis quoque Dominicæ Passionis, interdum ab Angelo sancto etiam corpore rapti solebat ad loca illa Terræ sanctæ, [in quibus idem Salvator, nascendo, conversando, patiendo, sacramenta salutis humanæ operatus est. Ubi cum, sive in monte Calvariæ vel in aliis locis, ad oscula Dominicæ crucis aut vulnerum ejus admissa, pro refocillatione tribulationum suarum, fugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo; perventoque sive ad amplexus pedum Crucifixi, sive ad expirationem sponsi sui crucifixi, exemplo illius commendabat spiritum suum in manus ejus: [ubi mirabilibus consolationibus fruita,] licet frequenter a vulneribus carnis, quia compassive conjuncta erat, transierit cum sponsa in amoris Cantico, ad penetranda per contemplationis raptum abyssalia foramina, in intima

divinae petræ & cavernas materie, id est, profundissimas divinorum invisibilium theorias; ita quod præ abundantia suavitatis spiritualium charismatum, a sensu pœnarum corporalium penitus deficiens, dicere posset cum Sponsa; Ego dormio, per soporationem & defectum corporalium dolorum, quibus gravari solita eram: & cor meum vigilat, in cognitione & gustu ineffabilium occultarum divinarum suavitatum.] [Cant. 2, 14, Cant. 5, 2]

[52] [Tantis interim novis infirmitatibus divinitus flagellabatur, [varias inde læsiones reportat,] ut etiam] aliquando reversa ab illis osculis Dominicæ crucis aut vulnerum ejus, in labiis suis impressa quædam ulcera reportaret: [quatenus non solum secundum multitudinem doloris in corde suo, divinæ consolationes lætificarent animam ejus; sed etiam secundum multitudinem divinarum consolationum, tribulationes quoque ejus & flagella contristarent eam & humiliarent.] Tunc ait Angelus ei, Hæc ulcera propterea in corpore tuo suscepisti, ut scias te etiam in corpore fore raptam. Alia quoque vice, cum supradicta transiret amœnissima loca, accidit quod præ lubricitate qualicumque (quæ ibi forsitan erat) gressum figere non valens, lapsum pedis dextri (quem & se corporaliter sensisse dicebat) pateretur, & ex ipso lapsu pedis ejusdem divaricationem tantam, ut in exteriori talo inflationem & denigrationem ac dolorem reportaret, quod pluribus diebus ex eo torqueretur. Similiter cum quadam vice rapta fuisset ad urbis Romæ loca sancta, atque inter visitandum ecclesias quasdam principales ambularet inter arbusta & spineta, & ut moris est per similia euntibus corporaliter, hinc inde brachia quodammodo ventilando, incederet; susceptam ex iisdem arbustis spinam in digito reportavit: de cujus incommodis, sicut de aliis infirmitatibus suis, per biduum fere non modico querebatur se affligi dolore.

[53] [in testimonium veri raptus corporalis.] Propter has igitur corporales læsuras, quas sic reportabat, solita erat dicere secundum verbum Angeli, quod putabat se etiam raptam fuisse in corpore. Qualiter autem hoc fiebat, novit Angelus, qui hoc fieri in corpore testabatur, & in ejus testimonium læsuras corporales eam recepisse in raptibus ipsis perhibebat. Verosimiliter quoque videtur eam corporaliter raptam fuisse, quando sertum illud [florigerum,] de manu Beatæ Virginis capiti suo superpositum reportabat, de quo infra dicetur capitulo XVIII. Interdum quoque ipse Dominus noster Iesus Christus, cælestium civium vallatus agminibus, ingressus est in cellulam ejus; & quemadmodum Rex aut Imperator, cum Principibus suis, ad mensam se ordinate collocavit: ita ut ipse circa lectulum ejus, deinde ceteri in circuitu ejus, secundum ordinem suum, circa salvatorem Dominum se collocantes, celestibus eam & divinis epulis copiosissime reficiebant.

CAPUT VI.

De cælesti claritate ac suaveolentia circa S. Liduinam; uberibus ejus in Natali Domini lactescentibus, virgaque ipsi e Paradiso delata.

CAP. XV

[54] [Venerabilis Doctor Hugo de S. Victore, in libro de a tribus diætis, loquens de spiritualibus charismatibus, [Deo per contemplationem unita,] quibus contemplativi non solum mentaliter, sed etiam corporaliter nonnumquam unguuntur, sic dicit: Dum de intimo divinæ contemplationis secreto revertimur, quid nobiscum afferre poterimus? quid, inquam, nisi lucem de regione lucis portamus? Hoc enim & decens & necessarium est, ut cum de regione lucis venimus, ad fugandas tenebras nostras nobiscum lucem apportemus. Et quis scire poterit quod ibi fuerimus, si

illuminati non redimus? Si vidimus Patris potentiam, apportemus nobiscum lucem timoris: si vidimus Filii sapientiam, apportemus lucem veritatis: si vidimus Spiritus sancti clementiam, apportemus lucem dilectionis. Potentia excitet torpentes ad timorem; sapientia, ignorantiae tenebris excæcatos illuminet: clementia, caritatis calore frigidus inflammet. Hæc quidem Hugo.]

[55] [cælesti lumine etiam corporaliter circum funditur.] [Sed hæc quoties & qualiter mentaliter & corporaliter circa sacram hanc Virginem divinitus perficiebantur, quis novit? Excepta quippe mentali ejus illustratione, quam etiam magni & litterati viri, atque in spiritualibus studiis & exercitiis fundati & eruditi, qui cum ea frequenter locuti, ipsam non intelligentes, mirati sunt;] tanta sæpius diurno & nocturno tempore divina claritate, cum vel ab Angelo visitaretur, vel a supernorum contemplatione reverteretur, a condomesticis circumdari & circumfundi reperta est; quod eam videntes, vehementi timore percussi, non audebant ei appropinquare. Cum enim semper in tenebris jaceret, eo quod materiale lumen oculis ejus infirmis intolerabile valde foret; divinum tamen lumen eisdem valde erat amabile & tolerabile: quo, etiam nocturno tempore, sæpius tam excellenter perfundebatur, quod cella ipsa, in qua decumbebat, plena materialibus luminaribus vel incendio putaretur. Quod cum aliquoties, etiam ipso anno obitus sui, videret filius fratris ejus Balduinus puer, qui ei die ac nocte in necessitatibus serviebat, turbatusque vellet aufugere; illa econtra territum consolabatur, ac ne timeret vel aufugeret hortabatur.

[56] [Divinam claritatem tam perspicue contemplata fuerat, [& Christum in carne conspicuum habet:] quod ab ea tantum distare dicebat plenitudinem hujus materialis solis, quantum minimus radius ejusdem solis, per cacumina montium transiens ad abdita vallum, differt a

pleno lumine ejus. Non ergo mirum si divina claritate etiam corporaliter perfundebatur, quæ juxta vocem Apostoli, revelata facie gloriam Domini speculando, quotidie in eandem imaginem transformabatur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.] [2 Cor. 3, 18] Praeterea vice quadam, in festo Conceptionis B. Mariæ Virginis, apparuit ei Angelus Domini cum magna claritate, prædicens quod infra decimum septimum annum ægritudinum suarum, Salvatorem in carne corporalibus oculis esset visura: qui & postea, in die ante Vigiliam S. Thomæ Apostoli, de vespere, crucifixus & vivus illi apparuit, [cum magna claritate in specie hominis, in similitudine crucis qua inunguntur ægroti: qui & ab ea postulatus, in signum & testimonium præsentiae suæ, Hostiam albam, paulo majorem iis quibus vulgus cōmunicatur, cum quinque cicatricibus rubeis & sanguineis super lectum ejus reliquit. De hoc infra dicetur in Capitulo XXXIII de statu sacræ Communionis ejus.]

[57] Nec solum divina claritate solita erat sic circumfundi, sed & mirabili suavitate, [mira quoque suaveolentia.] cum vel ab Angelo sancto visitabatur aut tangebatur, vel cum a paradisiacis illis & cælestibus areolis & hortis ac apothecis revertebatur, tam ipsa quam cella ejus inventa est redolere: ita ut qui intrabant, putarent in eadem cella diversas species aromaticas fore reconditas. Qui suavissimus odor non solum in odoratu, sed etiam in gustu percipientium redundabat, [ita ut quasi gingiber vel gariofilos aut cynamomum comedissent, fortis quidam, [circa ipsam sentitur.] aut, ut vulgo dicitur, ardens sapor cum suavitate linguam & palatum quodammodo remorderet]. Et cum corpus ipsius Virginis vulneribus & hydropisi tumeret, ac vermibus (ut predictum est) scateret, pro fœtore abominando, qui potius exhalasset, fragrantia miræ suavitatis inde prodiit: & præcipue a manu, cum per eam ab Angelo sancto ad supernaturalia gaudia perducta & inde reducta fuisset. [Quis tam

aromatici corporis præsentiam non totis præcordiis affectaret? quem hujus mundissimæ pariter & redolentissimæ carnis aspectus non delectaret? Hæc igitur de mentalibus & corporalibus raptibus ejus, ac de divinis charismatibus, per eosdem circa eam cælitus effusis, in generali dixisse sufficiat Nunc ad considerationem specialium transeamus.

CAP. XVI

[58] Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, [Post incendium urbis] [nautæ quidam de Schiedam pro halecibus capiendis mare intraturi, more talibus consueto, cœnam magnam fecerunt cum sociis & amicis suis, in die sanctorum Frederici Episcopi & Martyris & Arnulphi Confessoris, qua valedicerent eis. Peracta cœna, ignem, quo fuerant usi circa parietem canneum, sub modio taliter recondiderunt, quod de vespere (qui & Dominica erat) orto ex eis incendio circa undecimam horam, [vidua quædam Liduinæ cohabitans,] per reliquum noctis,] quasi tota civitas, cum ecclesia & domo Sororum ecclesiæ proxima, combusta est. Post hoc igitur incendium intrabat domum hujus Virginis, ut habitaret cum ea, quædam vidua boni testimonii, Catharina nomine: cui anno ante præfatum incendium quadam vice, per aliquot dies ante sacratissimam illam solennitatem Nativitatis Dominicæ, per visionem somni indicatum est, quod ejusdem Virginis ubera, in nocte tunc proximæ Nativitatis Dominicæ, lacte forent implenda.

[61] [Incendium prædictum ipsa præviderat:] [Constat autem, Virginem hanc præfatum incendium longe ante scivisse, eo quod priusquam contingeret provisionem asserum fieri jusserat, quibus, ut aiebat, si subitum incendium oriretur, ipsam exportare & trans fossatum, quod extra posticum domus suæ erat, transferre possent: certumque habent plures homines prædictæ civitatis,

incendium propter peccata quorundam hominum contigisse. CAP. XVII

[62] Habebat autem hæc Virgo virgam quamdam de stipula e canobi, qua vel æstivo tempore, propter nimium æstum refrigerandum, [& occasione eius amissa virga cannabina] vel ob aliam quamlibet causam, cortinam lectuli sui solebat removeere vel retrahere; aut pro qualibet necessitate pulsando aliquem advocare, si cujus adjutorio indigebat. Cum igitur, sicut supra dictum est, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, incendium illud fere totam civitatem devastasset, ac domui hujus Virginis adeo appropinquaret, quod vicini & domestici ejus timentes eandem domum etiam comburi, asseres deponerent apud quos jacebat, ut si incendium domum invasisset, Virginem extrahere potuissent; tandemque divina miserante gratia extincto incendio, auferentes velum, quod pro defensione oculorum Virginis ab aspectu diurni luminis oppansum erat, quatenus eosdem asseres iterum affigere possent, eo quod claritatem diei sine multa sanguinis effusione per oculos Virgo ferre non posset; [qua ad varias necessitates utebatur,] contigit eam ex hac agitatione, quæ circa vel propter ipsam fiebat, propter præfatum incendium, prædictam amittere virgam, sed nescienter.

[63] Postea ergo in nocte S. Apollinaris Martyris, dum præ æstu anhelitum vix trahere valens, suffocari timeret; virgam quæsivit, ut velum amoveret, nec invenit. Turbata est ergo, eo quod nec ipsa sibi subvenire posset, nec qui sibi succurreret adesset. Statim igitur assistens Angelus Domini, contristatam super hoc, sponsione alterius & melioris virgæ consolatur. Nec mora, paulo post deficientibus majoribus doloribus febrium quas habuerat, [ab Angelo aliud lignum accipit,] circa tertiam horam post mediam noctem recessurus Angelus, ipsa sentiente, licet satis leviter, ponebat quoddam lignum super eam,

longitudinem fere unius ulnæ habens, protensum super latitudinem pectoris ejus, sicque recessit. Tunc ipsa extensa manu apprehendens lignum, ipsumque cernens informe satis, quodammodo parvi pendit, dicens materna lingua, g Nu byn ik wel bekûst, secundum proprietatem idiomatis Hollandrini; eo quod tam tortuositate inæqualitatis, quam ponderositate, longe a virgæ prædictæ levitate differens, sibi non bene portabile foret & dirigibile.

[64] [quod inter dolandum] Rogat ergo ipsa die S. Apollinaris Martyris D. Ioannem Confessorem suum, quatenus iret ad aliquem carpentarium, faceretque sibi lignum illud dolabro suo lævigari ad modum ulnæ. Paruit ille deprecanti, ingressusque est domum cujusdam carpentarii, qui ex omnibus instrumentis suis ab incendiis vix unum dolabrum, & huic operi satis ineptum, reservaverat. Quo cum illud lignum lævigare cœpisset, & aliquoties ita valide infixisset dolabrum, ut vix a fractura præservaretur; tantus ex eo suavitatis odor evaporavit, tantoque decore cæruleo, ad modum ceræ videlicet, enituit; ut quamvis ipsum lignum in superficie satis indecorum fuerit & deforme, propter odorem tamem & internum decorem affirmaret esse cupressinum. [invenitur esse cupressinum,] Super quo utrique admirati, cum D. Ioannes Confessor ejus carpentori rationem reddere non valeret, cujus generis esset hoc lignum aut unde Virgini provenerit; certatim illis diripientibus abscissas ligni reliquias, consentiente & suadente carpentario; Confessor virginis cum ligno ad alium & habiliorem carpentarium se contulit. Ubi dum, præ admiratione coloris pariter & odoris ligni, similia inter utrumque agerentur, ac finaliter præ reverentia & novitate reliquiæ raperentur; Confessor Virginis non sustinens illud amplius minui, reversus ad Virginem, reportavit ad eam. Quam cum interrogasset, unde sibi provenisset, aut cujus generis fuerit; illaque se nescire quidditatem aut qualitatem ejus responderet,

modum acquisitionis ejus, sicut prædictum est, simpliciter indicavit.

[65] Post hoc in festo S. Cyriaci Martyris reversus Angelus Domini, more solito perducit eam ad amœna Paradisi gaudia: [& sibi e paradiso allatum in visu cognoscit.] intra cujus anteriorem partem cum pervenisset, tamquam corripiendo inculcans ei verba prædicta, quibus lignum illud quodammodo vilipenderat, ostendit ei fluvium circa eandem portam & super fluvium arborem cupressinam, unde quasi præcipitanter frangendo illud abruperat. Deinde post raptum reversa ad se, indicat Confessori suo id quod ab Angelo perceperat, dolens quod illud ita minorari jussisset. [Cum igitur, volante rumore illius ligni, frequentes propter illud visitantes pateretur, & advenientes illud videre vellent ac tangere; contigit ut propter attactum hominis cujusdam amisit fragrantiam sui odoris, quam habuerat, & ideo ipsa Virgo doluit se illud alteri ostendisse. Solita autem erat dicere, quod per lignum istud diabolus esset castigandus, sicut ab Angelo sancto audierat.] Post hæc eodem anno, in profesto S. Nicolai Episcopi, rapta in visionem Paradisi, videbat arborem palmam, eximicæ pulchritudinis dactylis plenam, cujus lapides instar crystalli pellucidi videbantur.

CAPUT VII.

De sermo quod S. Liduina e cælesti raptu in terras detulit, aliisque favoribus ei factis.

CAP. XVIII

[66] Hoc eodem anno, scilicet millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, [hæc circa hanc Virginem contigerunt. [lussis omnibus e cella exesse,] Habebat cognatum quemdam Nicolaum nomine, quem quodam die festo ire præceperat ad ecclesiam ut Missam

audiret, atque ut post consummationem summæ Missæ ad prandendum rediret. Qui reversus, peracta refectioe prandii, cum Confessore illius ingressus cellulam, longiorem quam ei placuit apud eam moram fecit. Quæ indicans eis, quod libenter duabus aut tribus horis in cella sola esse vellet] rogabat eos quatenus ad tempus irent spatiatum, sperans se, propter præsentem interiorum suorum ad contemplationem dispositionem, in illorum absentia aliquid gratiæ cælestis accepturam: [specialiter autem Nicolao supplicabat, ne ante tertiam vel quartam horam post meridiem rediret. Illo igitur quod rogatus fuerat simpliciter perficiente,] Confessor regressus, ipsa ignorante, [redit clam in eam Confessor Virginis,] latenter intravit cellam ejus, ibique delituit, ad explorandum quid circa eam fieret, cum sola esset.

[67] Putans itaque Virgo se solam esse in cella, disponebat se per devotas orationes ad percipiendam gratiam quam optabat. Ecce transacto fere unius horæ spatio, post meridiem, more solito ingressus ad eam Angelus Domini, circum volabat circa eam, infra a lectisternium in quo jacebat, sed amplius ei non appropinquabat. Videns ergo gaudio præsentia ejus non posse perfrui, conturbata flevit amare, interrogans eundem Angelum, [& hac curiositate sua impedit ejus extases.] utrum aliqua culpa sua Deum offendisset, ob quam hac gratia perfrui non valeret. Tunc Angelus, Nequaquam, inquit, sed propter præsentiam ejus, qui sedens in cella tua nititur scrutari & experiri gratiam tibi dispositam. Quo dicto discessit Angelus ab ea. Tunc Virgo vehementius contristata cœpit amarius flere, ita quod ad tempus extatice non raperetur, licet sæpius frueretur solita gratia Angelicæ visitationis & consolationis. Audiens igitur Confessor ejus eam ita flentem, surrexit & indicavit ei se fuisse præsentem. Quo audito per amplius conturbata est, quam si alius præsens fuisset; eo quod frequenter satis indicaverat sibi vitam suam, quatenus

absque exploratione crederet gratiæ divinæ, quæ circa eam operabatur.

[68] Cum igitur post hoc ab hac turbatione pacem & tranquillitatem recepisset, [Tandem rursus rapitur ad videndum Purgatorium,] pius & misericors Dominus misertus ejus, sicut prius frequenter fecerat, ita postmodum quadam vice, primo extatice rapuit eam ad loca purgatoria: ubi inter ceteras animas, quas multifarie multisque modis torqueri videbat, vidit etiam plures animas amicorum suorum graviter puniri, pro quibus ipsa postea graves in corpore suo sustinuit cruciatus, quatenus eas ab hujusmodi pœnis relevaret ac liberaret. Pervisit igitur tam istis quam aliis pluribus pœnalibus locis, in quibus animæ pro demeritorum diversitate diversimode puniebantur, perducta fuit ad contemplanda vitæ æternæ gaudia. [& cælum] Ibi videbat qualiter omnipotens Deus in semetipso fruebatur gloria sua, qualiterque sancti Martyres & Confessores atque alii Beatorum ordines, singuli gloria sua fruebantur in semetipsis, ac præ deliciis nimiis per alterutrum effluere videbantur. Quibus gaudiis perspectis, plures Sancti familiariter alloquentes consolabantur eam, atque ad tolerantiam patientiæ adhortantabant.

[69] Tunc accessit ad eam sanctissima Dei genitrix virgo Maria, cum magna gloria, atque amicabiliter alloquens. Post multa igitur familiarissima & dulcissima colloquia Dei genitricis cum ea, adveniente tempore quo secundum voluntatem Domini remitti ad corporeos sensus debebat, dicit ad eum mater Domini nostri Jesu Christi: Carissima filia, viriliter age & confortetur cor tuum in tolerantia patientiæ, quia pro iis quæ nunc pateris mirabilem gloriam recipies. Addensque beata Virgo; [sertum accipit,] Visne, inquit, sertum super caput tuum. Tunc hæc Virgo, Ego, inquit, non possum hic habere voluntatem meam. Cum autem aspexisset Angelum ductorem suum,

videreturque consentire quodammodo quod acciperet; Accipe, inquit beata Virgo, hoc sertum super caput tuum, quod non nisi septem horis poterit esse super terram; & trade illud in manu Confessoris tui, dicens, quod ego demando sibi, quatenus de cetero credulus sit donis omnipotentis Filii Dei, & ut idem sertum ponat super caput imaginis meæ, quæ est in ecclesia.

[70] [quod sibi reddita penes se invenit,] His igitur dictis, hæc Virgo reversa est ad corporeos sensus: cumque, ut sui moris erat, gratias egisset Domino super hac contemplativa consolatione, nec tamen sciret se corporaliter sertum tale suscepisse; tandem casu vel necessitate qualicumque manum capiti suo superponens, detraxit sertum, quod ex odore suavissimo recordabatur capiti suo per manus beatæ Virginis impositum; tenebatque illud penes se quasi usque ad septimam horam post reditum a prædicta contemplatione, donec videlicet septimam horam intrasset. Erat autem hoc sertum cerulei coloris & rugosum, emittebatque de se tam miræ suavitatis fragrantiam, quod illud apud se tenebat quamdiu poterat. Ante autem ipsam septimam horam jussit excitari & celeriter ad se venire Confessorem suum. Quo veniente & interrogante quid desideraret; respondit illa se interfuisse cuidam festivitati, & beatam virginem Mariam, matrem Domini nostri, tradidisse hoc sertum ut illud deferret ad terras, & sibi in manus daret, atque demandasse quatenus credulus persisteret in donis Dei.

[71] Deinde tradidit illi Virgo sertum illud in manus, præcipiens ei, [jubetque imponi imagini B. Virginis] quatenus celeriter illud portaret in ecclesiam, quæ tunc temporis etiam combusta erat; & superponeret capiti imaginis B. Mariæ Virginis, quæ ibi erat. Hoc autem Virgo propterea jussit Confessori suo, ut plura adhuc circa eam signa videret. Caussante Confessore, quomodo ecclesiam posset intrare, cum adhuc non esset dies; illa respondit:

Ite cito, & a custode eam vobis aperiri petite: quia tempus instat, quo sertum ipsum oportet referri, unde ego illud detuli. Et ille, Quomodo illud sertum, inquit, capiti imaginis superponam, quæ in tam alto loco sita est? Cui Virgo dixit: In majori choro & in tali loco invenietis scalam, quam assumatis, [per suum Confessarium:] & ad imaginem ascendendo superponatis illud capiti ipsius imaginis, prout beata Virgo Maria fieri præcepit. Tunc ille, accepto tali signo, egressus & ad custodem accedens, rogabat eum ut cito surgeret & ecclesiam aperiret. Quod cum ille libenter faceret; Confessor Virginis ingressus chorum, inventa scala in loco designato, ascendit ad imaginem. Quod ut vidit custos, interrogabat quid ibi facere vellet. Cui respondit Confessor: Quod ego facio modo scire non potes: sed Dominus donare poterit quod postmodum scias. Quam ille responsionem quodammodo parvipendens, eo quod facti hujus mysterium ignorabat, recedebat. Porro Confessor Virginis, [quo facto ipsum ab Angelo recipitur.] superposito serto capiti Virginis, cum scalam ad priorem locum reportasset, atque flexis genibus orasset & adorasset, antequam egrederetur ecclesiam, Angelus Domini retulit idem sertum ad eum locum, unde illud Virgo attulerat: sicut ipsa Virgo postmodum præfata viduæ Catharinæ retulit. Habuerat autem hæc Virgo prædictam gratiam in nocte & de mane advenientis decimæ octavæ mensis Novembris, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo octavo.

[72] Ante hoc vero tempus cum repararetur ecclesia Schiedamensis, translata fuerat imago præfata beatæ Virginis ad domum & cellam hujus sacræ Virginis, sicut ipsa optaverat, & sibi per visionem apparuerat. Super cujus præsentia non solum ipsa intime gavisa fuit, sed & imago speciem quamdam formosiore induisse quodammodo visa est, tamquam super præsentia Virginis exultasset. Sed postquam imago ad ecclesiam, quæ tunc

erat parvum tugurium, reportata est, Virgo gratiam de sero præfatam habuit. [alias oblatum non suscepit:] Priori quoque tempore duabus vicibus rapta fuerat ad præsentiam beatæ Virginis: a qua cum similiter rogata fuisset, cur ita nudo & non ornato capite venisset; illa quoque, ut supra dictum, respondisset, Quia sic Deo & ductori meo placuit; beata Virgo, sicut hac quoque vice, interrogabat eam, si vellet habere sertum pro ornato & velamine capitis sui. Cumque illa eodem fere modo, sicut nunc, respondisset; ac intuita Angelum ductorem suum, notaret eum sibi non consentire ut susciperet, reversa est absque sero; propter maculam forsitan proprietatis & inordinatæ inclinationis, pro susceptione pepeli, quam in ea conspexerat Angelus.

CAP. XIX

[73] Solita erat feria quarta in capite Jejunii, more ceterorum fidelium, suscipere sanctificatos Cineres, de manu D. Joannis Walteri Confessoris sui, [Benedictos cineres accipit ab Angelo.] quos ille ab ecclesia secum deferebat. Cum ergo quodam tempore Quadragesimali, in eadem feria quarta Cinerum, Confessor ejus prædictus ingressus ad eam interrogasset, an vellet secum cineres de ecclesia portare, Virgo respondit dicens: Potest bonum esse quod ita faciatis, verumtamen jam mihi Dominus providit de Cineribus. Fuerat enim tunc paulo ante apud eam Angelus Domini, & eam de eisdem signaverat. De quo ut Confessor ejus certificaretur, illa apprehensam manum ejus posuit super verticem suum & frontem, ubi ille manifeste sensit Cineres ab Angelo superpositos. Non solum autem, sed & ipsa permittente & jubente, ille frontem suam fronti ipsius superposuit, ut sic aliquo modo tantæ gratiæ particeps fieret. [Docebatque eam Angelus, quod omnes suscipientes sacros Cineres cum lumine & cruce eos susciperent; lumen videlicet deferendo in cereo ad altare, & crucem in denario oblationis: sicque

semetipsos cum lumine fidei offerrent Deo, per veram subjectionem & mortificationem.]

CAP. XX.

[74] [Eo tempore, quo (sicut supra Capitulo IV dictum est) per hebdomadam modico adhuc vino utebatur, [vinum pauperi datum] anno Domini millesimo quadringentesimo, tale signum apud eam contigit. Epileptica quædam femina, videlicet morbo caduco gravata, ostiatim potum mendicabat: cui cum quasi omnes, præ horrore illius infirmitatis, ostia clauderent; percepta calamitate ejus hæc Virgo, appropinquantem domui suæ jussit vocari, & ad se introduci. Ingressa igitur illa cellam Virginis, petiit eleemosynampotus. Tunc Virgo compassa petenti & patienti, cum se diceret ei non posse subvenire nisi cum modico vino, quod apud eam stabat; demonstravit ei amphoram super asserem stantem; Accipe, inquit, filia, amphoram illam, & quod in ea repereris vinum, ebibe. [divinitus ei restauratur,] Quo hausto cum illa adhuc amplius peteret, nec haberet Virgo, vel sciret quidquam amplius esse de potu in domo; tradidit ei denarium quemdam, dicens ut iret in tabernam & pro eo cerevisiam emeret. Qua egressa & jam vespera appropinquante, cœperunt Virginis labia præ siti arescere. Petebat ergo a patre suo quatenus afferret dimidiam pintam vini, ad refrigerandum ariditatem sitis suæ. Qui cum responderet, Libenter; & manu extenta caperet amphoram, ut quod postulabatur perficeret; perfudit se vino, haud dubium divinitus in ea procurato. Quod ut retulit filiæ, eo quod amphora vino plena esset, illa admirans, divinæ bonitati gratias egit devote.]

[75] [optimum diuque sufficiens.] [Erat autem hoc vinum rubicundum, & adeo in sapore temperatum, quod non commiscebatur ei aqua, quemadmodum alteri vino, quo solebat uti, fieri consueverat. Durabat vero idem vinum a

tempore prænotato, scilicet circa festum S. Remigii, usque circa festum Conceptionis B. Mariæ Virginis. Quo tempore intrabat ad eam quædam femina, scilicet Catharina uxor magistri Simonis barbitonsoris, quæ ex singulari devotione ministrabat ei, & procurabat omne vinum, quo solebat uti: quæ fastidio tacta quasi super nimia vetustate vini illius, cum diceret se illud velle effundere & recens afferre, Virgoque diceret illud sibi satis conveniens esse satisque sufficere sibi; illa mysterii ignara vinum illud totaliter effudit, ut quasi præ reverentia novum procuraret: sicque non est amplius usa benedictione illa. Erat autem vinum illud tam bonum, quod hæc Virgo diceret, se numquam simile gustasse.]

CAP. XXI

[76] [Igitur hæc sancta Virgo (sicut Capitulo I dictum fuit) nata anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo; [Chronotaxis morborum,] anno millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, circa finem quinti decimi anni ætatis suæ, videlicet circa festum Purificationis B. Mariæ Virginis, exordium infirmitatum suarum sumpsit, sicut habetur supra Capitulo III: in quibus cum annos fere quinque peregisset, usque ad mortem suam solem non viderat neque lunam, neque pedes ejus terram tetigerant, sicut habetur Capitulo IV. Refectio autem ejus post tres primos annos, usque ad decimum fere nonum ægritudinum ejus ab initio exclusive, qui est annus Domini millesimus quadringentesimus decimus tertius, fuit ad modicum tempus fragmen vel caesura de pomo, ad spissitudinem hostiæ parvæ, [abstinentiæ] quæ pro communicandis consecratur in altari; aliquando vero valde parum de pane, cum modico sorbello sive haustu cerevisiæ spumantis, nonnumquam autem parum dulcis lactis: deinde per aliquantos annos infra hebdomadam media pinta vini puri sine admixtione aquæ; interdum cum modica aqua admixta, aliquoties modicum zuckaræ

vel cynamomi aut dactylorum sive muscati. Ad extremum per hebdomadam media pinta Mosalis aquæ, quæ super omnem vini saporem singularem ei suavitatem dabat: de quibus omnibus Capitulo IV dictum est. A decimo quinto autem anno ægritudinum suarum, qui fuit annus millesimus quadringentesimus & decimus, etiam usque ad mortem, ad valorem dimidii grossi, pane non utebatur, sicut ibidem dicitur.]

[77] [Initium spiritualium suarum consolationum cœpit, [& consolationum S. Liduinæ.] transactis annis fere quatuor ab exordio infirmitatum suarum: initium vero contemplationum & raptuum, transactis ab exordio quasi duodecim annis, sicut habetur supra Capitulo XII. Ab anno autem Domini millesimo quadringentesimo tertio usque ad mortem suam, utebatur cingulis cilicinis, sicut dicitur Capitulo IX. Ab anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo particulatim evomuit pulmonem & hepar cum pluribus intestinis, & brachium ejus dextrum a junctura scapulæ quasi solutum fuit: viditque puerum crucifixum coram se, in similitudinem. Hostiæ transformatum, ut habetur infra Capitulo XXXII; atque suscepit vinum miraculose in amphora, ut jam dictum est Capitulo præcedenti. Ab anno Domini fere millesimo quadringentesimo decimo quarto, patiebatur febres tertianas & interdum quartanas & quotidianas, sicut dicitur Capitulo VII. Eodem quoque tempore incurrit hydropisim, quam & continuavit usque ad mortem, nec ullo utebatur vel cibo vel potu vel somno, sed nec naturalia superflua corporis emittebat, præterquam per vomitum, ut habetur Capitulo VI & VII.]

CAPUT VIII.

De eleemosynis Lidwinæ divinitus probatis, & corona patientiæ per injurias Picardorum perfecta.

CAP. XXII

[78] Post hæc anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo tertio, defunctus frater hujus Virginis, nomine Wilhelmus Petri, reliquit debita quædam, quæ liberi ejus persolvere nequibant. Quod cum ipsa comperisset, [Fratri mortui debita solventi,] quidquid sibi superesse poterat de clenodiis & hereditate matris suæ, vendi fecit; & pretium pecuniæ, quod inde provenerat, octo scilicet libras Hollandiæ vel paulo plus, in denarios unius monetæ quam melius cognoscebat per mutatum, per D. Joannem Brest Presbyterum, cui pecunias easdem mutuaverat, penes se collocabat in bursa. Quodam itaque die advesperascente, advocans cognatum suum Nicolaum, qui cum ipsa morabatur & in cella ipsius consueverat dormire; misit per manum ejus ad singulas domos, ubi sciebat commorari creditores fratris sui, [reposita in bursam pecunia numquam deficit,] tantum pecuniæ quantum ille singulis debebat. Persolutis igitur omnibus quæ noverat persolvenda, præcepit Nicolao ut inspiceret siquid remansisset in bursa: [qui cum respondisset, multam in ea pecuniam remansisse, jubet illa ut numeret eam. Quod cum faceret, inventæ sunt octo libræ in bursa, ut prius integræ, & adhuc præter illas superesse amplius: quod cum Virgini retulisset, illa prohibuit eum amplius numerare, gratiasque egit Domino super hoc tam admirabili dono suo, promittens quod illa bursa deinceps bursa Jesu vocari debebat, [& etiam ad eleemosynas abundat,] & de ea in reliquum pauperibus distribui fecit. Sed hoc non nisi quando alias pecunias non habebat: si vero interdum aliquas pecunias habebat, vel proprias undecumque vel eleemosynas susceptas, illas primo dabat: quando autem alias non habebat, ex hac bursa pauperibus adeo liberaliter ac large distribuebat, quod, quantum poterat experiri tactu, parum in ea remansisse videretur: providebat tamen omnipotentis Dei

misericordia, quod semper ad usus pauperum omnis in ea sufficientia erat.]

[79] Nonnumquam hæc Virgo alicui de amicis suis tradidit eamdem pecuniam numerandam: qui cum ipsa jubente secundo ac tertio eam adhuc numerasset, semper inventa est ipsa pecunia per tres aut quatuor denarios multiplicata, ut scilicet per tale miraculum firmam fidem haberent in donis Dei, [per annos omnino quinque,] quæ circa ipsam fiebant. Solutis itaque debitis fratris sui, sicut prædictum est, ex hac bursa; plusquam quadraginta libras ex eadem distribuit pauperibus, sicut aliquibus secretissimis amicis suis revelaverat. Atqui post hanc revelationem adhuc fere quinque vel sex annis permanens in hac vita, largiter ex ea pauperibus usque ad mortem suam donabat: postquam vero migravit ad Dominum, inventi sunt in ipsa bursa de iisdem denariis, qui computati cum iis quos adhuc aliqui habebant, qui apud eam esse solebant & quibus ipsa easdem dederat, fecerunt medietatem prioris pecuniæ sive summæ, quæ ab initio fuerat in bursa reposita, & ultra.

CAP. XXIII

[80] Adeo misericors & larga erat in pauperes, præsertim eos qui domi residentes non poterant mendicare, quod quidquid habere poterat, [pro perna ad usus pauperum cocta & distributa;] sive lineum sive laneum, sive pisces aut carnes vel panes, seu quidquid eis utile noverat aut necessarium, hoc eis procurare solebat & mittere. Cum ergo quadam vice percepisset in duobus aut tribus locis pauperes domi residentes, qui multo tempore non comederant carnes, seque pro tunc carnes non habere; mittens ad domum cujusdam amici, petiit quatenus bulliret unum armum porcinum, sibique transmitteret. Quod cum ille libenter fecisset, postulataque carnem Virgini transmisisset, illa in partes divisam misit

pauperibus, quos noverat indigere. Omnipotens autem & misericors Deus, qui novit omnium corda, [ei qui dederat restituitur alia melior.] hanc vicissitudinem rependit caritati illius, qui Virgini prædictas carnes transmiserat; quod ingressus domum suam, cum casu suspiciens aspiceret carnes suas pendentes, videbat, in loco ablati armi Virginique dati, alium pulchriorem & meliorem pendentem. Quod cum videret & ceteri qui audiebant, gratias egerunt omnipotenti Deo, & inposterum magis erant affecti ad eam, ita quod quidquid desiderabat ab eis Virgo vel postulabat sibi fieri, vel de caseis vel de lacte vel de butyro, ad usus pauperum, citius obtinebat.

CAP. XXIV

[81] Tempore quodam autumnali jussit hæc Virgo emi quartam partem junioris vaccæ, mediam quoque partem mensuræ, quæ vulgo dicitur achtendeil pisarum; [carnes & pisæ pro eisdem emptæ,] ut ex iis provideret hiemali tempore prædictis egenis domi residentibus, in majoribus necessitatibus eorum. Cum igitur præ nimia caritate, qua circa pauperes afficiebatur, misset ex prædictis ad egenos, fere per triginta sex domos; reversus nuntius ait cum admiratione, se tantum quasi de carnibus distribuisse pauperibus, quantum primo in vase salierat, & adhuc valde parum imminutas fore: simili modo distribuerat pisas, quæ & valde parum videbantur minoratæ. Quo audito Virgo gratias agens Deo super tam amicabili gratia & bonitate ipsius, ait nuntio: O quam magna est potentia Domini Dei nostri! o quam merito pauperibus eleemosynas libenter dare debemus! [tota hieme sufficiunt.] In hoc enim quod omnipotens Deus modo fecit, indicat manifeste, quod iis qui libenter & bono corde pauperibus largiuntur, & in futura vita multiplicem mercedem retribuet, & in præsentī vita pauperiores non erunt. Tota autem hieme semel, & interdum bis in

hebdomada, jussit coqui magnam ollam cum pisis, & similiter cum prædictis carnibus, & pauperibus distribui.

[82] Raro vero quidquam talium mittebat eis, quin cuilibet eleemosynæ superadderet unum denarium, [eleemosynæ Liduinæ largissimæ,] parvum aut magnum, nisi quando pecuniam non habebat. Panem autem non dabat, nisi & superadderet ferculum aliquod cum pane comedendum, vel pecuniam qua tale aliquid posset emi. Interdum dabat panem album vel similagineum, quem reputabat quasi panem & aliud ferculum; quem & secundis feriis mittere solebat, & cum eo ova. De prædictis autem carnibus & pisis comedebant etiam quotquot in domo ejus erant. Adeo autem Dominus benedixerat carnibus & pisis, quod peracto Pascha fere media pars adhuc supererat; largiebaturque ex eis pauperibus, donec major pars ætatis transisset. Liberalissime quoque solita erat mittere pecunias, & cerevisiam cum magnis amphoris: ova quoque & panes ac butyrum pauperculis feminis in puerperio constitutis; solicitabaturque pro eis juxta vires suas, donec sibi ipsis possent subvenire. Nonnumquam etiam vinum pauperibus cum sobrietate & modestia mittebat, quibus hoc necessarium erat; & interdum lac amygdalinum. Ut autem perficeret quod scriptum est, *Omni petenti te tribue*; non solum pauperibus, sed etiam divitibus, quando petebant, eleemosynis suis subveniebat. [Luc. 6. 30.]

[83] Illa quoque quæ eleemosynaliter accipiebat, tanta consequenter liberalitate & hilaritate pauperibus mittere solebat, quod hoc quasi volanti corde facere videbatur. [eidem in paradisi mensis oppositæ exhibentur,] Mittebat autem de penuria sua quæcumque habere poterat, scilicet panem, carnem & pisces assos; cerevisiam quoque cum amphora, quam mater sua moriens sibi reliquerat; & si amplius quid divinitus concedebatur. Et cum hæc mitteret, ipsa vacabat devotis orationibus,

gratias agens bonorum omnium Largitori, quod aliquid in usus indigentium largiendum sibi concesserat. Unde & cum raperetur in Paradisum, videbat frequenter primo quidem mensas pretiosas collocari, ac sericeis mensalibus viridis coloris venustissime operiri: deinde suas eleemosynas, quasi de cælestibus apothecis depositas, super easdem mensas collocari; nec aliquando minui, sed potius augeri. Cerevisiam, quam in amphoris lapideis vel fictilibus consueverat largiri, videbat in amphoris pretiosis, ad modum crystalli perlucidis, repræsentari. Pisces quoque assos, quos pro nepte sua Petronilla, quæ erat filia fratris sui, de qua dicitur infra Capitulo XXV, erogaverat, etiam post tres vel quatuor annos largitionis, intuebatur apponi. Hæc partim contigerunt tribus vel quatuor annis ante mortem suam.

[84] Videbat quoque gloriosum illum conventum Beatorum, [accumbentibus velut in convivio Sanctis,] veluti regalem comitivam de palatio, ita de abditis quibusdam locis, tamquam tempore & causa refectionis, procedentem ad mensas ipsas. Procedebant autem distincti per gradus & ordines suos. Singuli quoque Presbyteri in ordine suo portabant calices erectos, & ceteri quoque singula vasa sive armaturas dignitati suæ congruas. [Habuerat autem fratrem nomine Balduinum, qui ante plures annos, videlicet post mortem matris, defunctus, apparens ei, & eam de neglectu sui quodammodo corripiens, tandem precibus ejus a pœnis miserante Deo liberatus est: hunc videbat similiter in ordine Presbyterorum, portare quidem calicem, sed versum; eo quod a parentibus ad Presbyteratum dispositus fuerat, sed ex propria negligentia non erat ordinatus, licet competenter litteratus.] Deinde appropinquantes mensis, vidit singulos ad easdem in ordine suo collocatos sedere, seque interdum assistere & ministrare, vel vescentibus considerare, potumque assidentibus & sibi ministrari; [omnes vero ineffabili

gaudio & júbilo repleti sicut scriptum est, In voce exultationis & confessionis sonus epulantis; ac jucundari super tanta caritate, sibi ab ea exhibita. [Ps. 41. 5.]

[85] Si quando vero in mensis illis nihil videbat repræsentari quod ipsa largita fuisset, [ipsaque & aliis indidem reffectis.] vehementer stabat confusa, tamquam singuli symbolas suas portassent, ipsa autem nihil: unde & tam pro gloria eleemosynarum suarum, quas ibi viderat, augenda; quam propter confusionem, quam pertulerat, festinabat eleemosynas multiplicare. Nonnumquam autem Angelus ductor suus ducebat eam seorsim ad separatam quamdam ac speciosam cellam, in qua refectionem suam sibi ministrabat. Quam refectionem etsi dicebat fore inæstimabilem, prout tamen exprimere poterat, ajebat fore cæleste quoddam & divinum lumen, quo divinitus reficiebatur & inebriabatur. Interdum obtinebat ab Angelo suo, ut aliquem de familiaribus suis & sibi dilectis adhuc assumere posset: qui etsi tale aliquid in somnis speculando circa se sentirent actitari, longe tamen aliter & inferiori modo, quam circa ipsam fiebat.

[86] Dicebat quoque paradisum ipsum tres habere portas, intra quarum tertiam quicumque intrasset, [Rapitur ad paradisi ingressum,] exire non posset: ad quam cum ipsa quadam vice admissa fuisset, & introrsus introire vellet, ab occurrente sibi avo suo Joanne (patre videlicet patris sui, de quo supra Capitulo I dictum est) repulsa, retrorsum ire compulsa fuit. Quam repulsam cum ipsa, utpote ab avo suo, qui eam potius introducere debuisset, sibi factam, molestissime pertulisset; ille consolans eam dicebat, tempus illius illuc introeundi nondum advenisse; sed oportere eam potius redire; atque succurrendo iis qui in pœnis Purgatorii constituti sibi ipsis subvenire non poterant, ampliorem vitæ fructum proferre. In festivitatibus quoque plurimorum Sanctorum, frequenter rapiebatur ad contemplationem diversorum Sanctorum,

interdum Martyrum, interdum Virginum aut aliorum Sanctorum. [& Sanctorum variorum aspectum atque alloquium:] Interdum rapta ad gaudia paradisi terrestris, videbat sanctos Patres Augustinum & Hieronymum, Gregorium & Ambrosium, Franciscum & alios diversos Sanctos, de celestibus sedibus, quasi de quodam occulto palatio, in paradisum ad suum colloquium descendentes. Quadam autem vice, in die conversionis B. Pauli, tribus forsitan vel quatuor annis ante mortem suam, videbat eundem Apostolum, incæstimabili nimis gloria circumamictum, videlicet quasi chlamyde quadam pretiosissima ex gemmis & auro composita, & adeo solida atque forti, quod videbatur non posse complicari, sed potius fixe & erecte stare.

[87] [ex quibus aliquando intelligit casum cujusdam reservatum.] [Erat quædam femina de Ouderschie, cujus confessionem vice quadam audierat sæpe dictus D. Joannes Walteri, Confessor hujus Virginis, in qua invenerat quemdam casum Episcopalem, propter quem eam remiserat ad habentem ejusmodi auctoritatem. Sed cum illa non obedisset præcepto ejus, prædicta Virgo quadam vice rapta in spiritu, videbat occurrentes sibi sanctos Doctores supra memoratos Augustinum, Hieronymum, Gregorium atque Ambrosium; sibi que præcipientes, quatenus dicat D. Joanni Confessori suo, ut feminam prædictam super hac negligentia corriperet, ac ad perficiendum eam admoneret. Quod cum ille fecisset, & obedientiam a sanctis Patribus sibi injunctam perficeret; illam, quodammodo suam admonitionem vilipendentem, judicio divino dereliquit.]

CAP. XXVI

[88] Quadam vice rapta in spiritu, vidit gloriosam valde coronam, sibi præparatam; quam, post vitæ præsentis patientiam & labores, [Coronam sibi paratam] a Domino

erat perceptura; in qua tamen plurima videbantur & erant imperfecta. Restituta ergo sibi post illam contemplationem, memor illius coronæ, rogabat instanter Dominum, quatenus dignaretur secum & circa se operari, ut illa corona perfici posset. Eodem quoque tempore petierat a Domino, quatenus intromitteret eam per vestigia sua, per imitationem videlicet conversationis ejus, atque intromissam in ipsa ab eisdem expelleret. Dum hæc igitur frequenter & ardentissime postularet a Domino, [cum perfici petiisset, id impetrat,] anno videlicet Domini millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, contigit ducem Burgundiæ Philippum, Picardorum & aliorum multitudine constipatum, Hollandiam ingredi, ac compellere civitates Hollandiæ, ut ipsum in Dominum ac Rectorem susciperent. Quo in pluribus locis peracto, ingressus etiam Schiedam, circa festum Beatorum Gereonis & Victoris, etiam ibidem susceptus est.

[89] Post refectionem igitur prandii, quidam de familia ejusdem Ducis, [a Picardis, Ducis Philippi famulis,] [ut dicebant, medici & chirurgici,] exegerunt a Curato ecclesiæ, D. Joanne Angeli de Dordraco, Præmonstratensis Ordinis de Marienwaert, quatenus eos ad domum hujus Virginis introduceret: qui nihil mali suspicatus, fecit quod petierant ab eo. Ingredditur igitur Curatus ad Virginem, & illi pariter cum eo, [subsequentibus famulis eorum, domum & cellam ejus post se claudentes.] Quos cum plusquam decet tumultuantes & eam molestantes niteretur compescere, illi eum indignanter expellentes, seorsim stare fecerunt, dicentes eam esse concubinam ipsius, [& ideo eum hæc pro defensione illius agere. Mansit tamen Curatus in cella prope altare. [indignissime habita,] Illi vero perversi, ut eam melius perviderent, cortinam remonent, candelamque oculis ejus satis intolerabilem accendunt; deinde ablato operimento, quo Virgo tecta erat, corpus ejus penitus denudant. Quod cum videret filia fratris ejus

virgo juvencula, [decem & septem fere annorum] Petronilla nomine, objiciens se voluit eam defendere. Maligni autem illi arreptam puellam, irreverenter & graviter satis projectam, allidunt ad scabellum, quod erat ante altare in eadem cella constitutum; adeo quod circa renes aut inguina non mediocriter læsa, claudicaret usque ad mortem.

[90] [Sed nec ista sufficiunt. Ut enim tam in illa sancta Virgine quam in istis adimpleretur, quod in Apocalypsi dicitur, Sanctus sanctificetur adhuc, & qui sordidus est sordescat adhuc; [convitiis vexata,] nullo cibo corporali utentem per undecim annos,] dicebant nocturnis epulis & conviviis vacare. [Apoc. 22, 11] [Virginem quoque castissimam, ac juxta vocem Apostoli mente & corpore sanctam,] mentiebantur nocturnis fornicationibus deditam quatuordecim liberos procreasse: & [ut manifestius, quid bestialitatis intus habuerint, ostenderent] unus eorum, qui lumen tenebat, [inter Angelorum & Beatorum choros quotidie conversantem, [& tribus locis vulnerata:]] bestiam appellabat. [1 Cor. 7. 34] Inter hæc & his similia plurima verba contumeliosa, [etiam ad facta proruunt ignominiosa. Cum enim propter humorem hydropicum totum corpus ejus in tantum intumuisset, quod cutis superducta ad modum chordæ in cythara extensa videbatur, ipsi eandem cutem, propter extensionem nimiam attenuatam & valde debilem factam,] manibus pollutis attrectantes & pungentes, in tribus locis vulneraverunt: ex quibus sanguis adeo copiose profluxit, quod oportebat eum cum pelvi haustum de lectulo removeri.

[91] Quo scelere perpetrato egressi laverunt manus suas; regressique, pro verbis veniæ, quam potius postulassent, in contumeliosa, sicut prius, verba linguam laxabant. Tunc Virgo [quæ, [prohibet reos: deferri:] sicut ovis ad occisionem ducta, jacens hæc sustinebat], his tantum

verbis vel similibus convitiantibus respondit: Cur non timetis ita sinistre interpretari Divinitatis opera in me & dijudicare, qui nescitis quale vobis iudicium divinitus imminet? Eadem hora, recedente Duce, illi similiter sequuntur, statimque cunctorum aures percellens hic rumor, adduxit Rectores civitatis: qui cum ad eam pervenissent, inter verba consolatoria quasi pro consolatione comminabantur, quod illa quæ gesta erant Duci vellent conqueri, quatenus contra tanti sceleris auctores vindictam exerceret. Tunc illa memor verbi Domini, dicentis, Mihi vindictam & ego retribuam, prohibuit quidem humanam petere vindictam, asserens, quoniam Deus esset eam vindicaturus. [Rom. 12, 19] Quod & factum est.

[92] Nam unus eorum, qui lumen tenuerat & multa ei convitia intulerat, eodem die prope Rotterdam, scilicet in portu, navigio veniens, [qui tamen omnes male pereunt,] ab una navis parte ad aliam quasi valido turbine jactatus, ac deinde a principe tenebrarum projectus in mare atque submersus, confracta cervice mortuus est extractus. Secundus prope Zirk-zee in furiam conversus, ac ne præsentem læderet de navi in scapham projectus, mortuus est & in civitate sepultus. Tertius militaris, in bello de Brouwershaven, percussus interiit. Quartus, qui & medicum se fatebatur, prope Slusam apoplexia percussus, ita quod nec loqui poterat, admonitus a famulo suo, de eo quod cum aliis contra Virginem in Schiedam fecerat, & an de eo doleret sciscitatus; postulanti per tactum manus & gestum oris quaecumque signum doloris & pœnitudinis dedit, & defunctus est. Famulus autem ejus reversus Schiedam, pro magistro suo veniam cum lacrymis a Virgine petiit & obtinuit. Flebat autem Virgo sancta multo tempore quod in se factum fuerat, non solum sua vulnera, sed eorum perditionem plangens: omnes enim valde breviter mortui fuerunt, videlicet in eadem hieme.

[93] [Rectoribus imminens discrimen prænuntiat,] [Consistentibus autem adhuc apud se Rectoribus civitatis ait ipsa Virgo: Ego quidem nunc hæc passa sum: sed vobis imminet iudicium quod ignoratis. Nec multo cum post accusantibus quibusdam, quasi proditionis civitatis rei assecurati essent, ita quod timerent a Duce capitali sententia se plectendos; dixerunt: Ecce hoc est iudicium quod Leydwigh dixit nobis futurum.] Post hanc igitur passionem Angelus Domini sanctus apparens ei, ac Sororis nomine appellans, indicavit, qualiter, sicut petierat, per irreverentem illum tactum, a Picardis sibi factum, posita fuerat in vestigiis Salvatoris; [intelligit suam coronam perfectam,] ac per opprobriosa verba, quæ ab eisdem audiverat, margaritæ, quæ restabant, perfectæ erant in corona sua. Sequenti anno, scilicet vigesimo sexto, circa festum Gereonis & Victoris, regresso Duce cum Picardis; rursus a militari quodam, qui civitati Schiedam præerat, deputati sunt sex ex eis, ut observantes diu noctuque scrutarentur, an aliter vel alia, quam quæ rumor vulgaverat, circa eam invenirentur. Qui cum nihil quam quod rectum erat experirentur, iterum adveniente Duce in Rotterdam, disponebant quidam citare & advocare D. Joannem Walteri de Leydis, qui eodem anno effectus erat Confessor Virginis, atque ipsum adjurare, quatenus diceret, an quæ de ipsa dicebantur ita secundum veritatem forent, sicut ferebatur: quod etiam fecissent, nisi divino nutu superveniens nuntius, de Hollandia recedere compulsisset.

CAPUT IX.

S. Liduinæ in ferenda suorum morte imbecillitas, subtractione consolationum divinarum castigata: desperabundi adjuti.

CAP. XXVII

[94] [Post prædictum martyrium hujus Virginis, cum in profesto Conceptionis B. Mariæ Virginis, [Morte patris prævisa] præfatus D. Joannes, postea Confessor ejus, iter disponeret versus Ouderschie, ut ibidem celebraret; ipsamque Virginem super hoc consuleret, utrum die ipso illuc iret, an in crastinum differret; ipsa propter patris sui exequias, quas dicebat crastino futuras, suasit ut potius ipso die illuc pergeret, ne sequenti die circa paternum funus aliqua contingeret negligentia.] Dicebat enim se a patre suo audivisse, quod beata Virgo fædus societatis cum eo inisset, eique spondisset, quod ipsum circa festivitatem hanc de hoc mundo a vocaret. Post quæ verba mors patris mox ipso die secuta est, [& de salute ejus certa,] videlicet in profesto Conceptionis beatæ Virginis. Post cujus mortem cum ipsa certificata fuisset de salute ipsius, nihilominus daemones interdum eam in tantum contristabant, dicentes ejus patrem secum in damnationis suæ societate habere, ut, quasi verum fuisset quod a dæmonibus audierat, inconsolabiliter fleret. Unde & domesticis ejus, causam lacrymarum sciscitantibus, respondit: Ego scio quod cum patre meo valde bene agitur, & tamen dæmones dicunt quod sit damnatus. [turbatur tamen a dæmoniis, damnatum objicientibus,] Cum enim vice quadam ab Angelo suo duceretur ad amoëna paradisi gaudia, dæmones iter ejus obsidentes, transfiguratum quemdam dæmonem in similitudinem patris ejus iridentes & affligentes, ostendebant ei dicentes: Ecce habemus patrem tuum. Tunc illa cognoscens diabolicam illusionem, non veritatem, dicebat eum non esse patrem suum: statimque velut fumus illis evanescentibus, ipsa cœptum iter Angelo duce perficiebat.

[95] Post hæc in die B. Pontiani obiit præfata Petronilla, neptis sua, filia fratris sui; [que eo quod hanc sacram Virginem, cum a Picardis, ut prædictum est, [Nepti suæ morienti ut extremum loquatur,] ita irreverenter

tractaretur, defendere volebat, ab eisdem ad altaris scabellum cum impetu elisa, graviter & ipsa læsa fuit.] Ante cujus obitum cum rogasset Dominum, quatenus ita ordinaret febres suas, ut eidem ante mortem ejus loqui posset; pius Dominus misertus morituræ, prævenit eas per spatium fere sex horarum; ita quod quæ per frigus accedere solebant hora undecima circa meridiem, mane accedebant hora quinta; calor vero qui de vespere accedere solebat, accedebat hora undecima circa meridiem, & terminabatur de vespere: sicque temperato calore febrili, cum omnium qui aderant admiratione, [impetrat sibi febrim anticipari,] recepit competentem facultatem alloquendi & consolandi morituram. [Quia vero voce Dominica dicitur, Qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet; ista vero puella Petronilla in prædicta persecutione hujus sacræ Virginis, ut ibidem dictum est, sese totam pro defensione ejus exposuit, & contumeliam atque læsuram corporalem pro & cum patiente accepit; libet hic annectere visionem, quam hæc Virgo sancta, paucis ante mortem illius diebus, habebat. [Matt. 10, 41]]

[96] Tempore quodam nocturno, posita in excessu mentis, [& futuram ejus gloriam in visu contemplata,] videbat solennem quamdam processionem celestium civium, in qua, sicut moris est & in processionibus ordinari solet, distinctis ordinibus & choris singuli incedebant; videlicet patriarchæ invicem, & Prophetæ invicem, similiter Apostoli & Martyres, Confessores & Virgines, Sacerdotes & Clerici, singuli in suo ordine ac dignitate. Procedebant autem de ecclesia civitatis Schiedamensis, præcedentibus more solito crucibus & luminaribus, ut sol splendentibus, usque ad ostium domus suæ; de qua sumentes funus, deferebant ad ecclesiam: ipsa autem sequebatur funus, datis sibi tribus coronis, quarum unam gestabat in capite, reliquas singulas in singulis manibus. Cumque restituta sibi ipsi verbotenus diceret, suspicando

quasi mors ipsius in hoc præfiguraretur; finaliter tamen dicebat, quod designabant mortem præfatæ suæ neptis Petronillæ; quæ & statim post hanc visionem moriebatur, in festo S. Pontiani de vespere hora decima. Præcepit tamen ex hoc tempore serius præparari necessaria sepulturæ suæ.

[97] [immodice tamen luget defunctam,] Itaque post Petronillæ neptis suæ mortem, quæ ei die ac nocte assistens in necessitatibus ministrabat, sancta Virgo tam perniciosam incidit tristitiam (quasi super destitutione illius, quam, utpote se cordialiter diligentem, ipsa vicissim ita affectuose dilexerat) & ejus tristitia in tantum Domino displicuit, quod in vindictam ejusdem tristitiæ, usque circa festum d Præsentationis B. Mariæ Virginis, solita privata fuit contemplatione & consolatione divina. Cum igitur die noctuque fleret amarissime, [ideoque amissam gratiam] non solum super morte neptis suæ, sed peramplius super amissione solitæ gratiæ, propter inordinatam illam tristitiam sibi subtractæ; tandem causam earumdem lacrymarum percunctantibus respondit: Cur non flerem? ecce proximis undecim annis nihil petivi a Domino quin sine contradictione impetrarem, & nunc in tanto tempore nullam penitus consolationem accipio.

[98] Circa festum autem Præsentationis beatæ Virginis tantam divinæ gratiæ superabundantiam recepit, [vix demum post aliquod intervallum recuperat.] quod per novem vel decem fere dies quasi in continua jaceret divinorum & cælestium contemplatione, fruitione, gustatione & jubilatione; adeo quod ingredientes ad eam per eosdem dies sentirent odorem suavissimum, quem sicut solito more ita nunc quoque de cælestibus areolis & apothecis reportabat. A quibus interrogata, unde proveniret talis odor tam suavis; ipsa quæ ex humilitate silere maluisset, tandem devicta eorum importunitatibus,

sicut Dominus manifestaverat odorem illum, [idem in morte fratris patitur:] ita ipsa ejusdem causam (unde scilicet eundem reportasset) indicavit: dicebat enim se non posse celare, quod Dominus jam prodidisset. Simili modo ante aliquot annos, defuncto fratre suo, de quo supra dictum est Capitulo XXII, tristitiam magnam incidit: super qua tantum obstupuit, quod dicebat se hactenus ignorasse, quod adhuc fuisset tam humana: propter quam etiam multo tempore solita carebat annona divinæ consolationis, sicut revelatum fuit cuidam eremitæ, in partibus Ægypti constituto, de quo dicetur in sequenti mox Capitulo.

CAP XXVIII

[99] Erat quidam juvenis, de diœcesi Coloniensi oriundus, [quod eremita cuidam, ab ipsa in Ægyptum directo,] nomine Gerardus: hic solitariæ vitæ & conversationis desiderio stimulatus, fama trahente primo venit ad hanc Virginem, ut ei præsens votum suum exponeret; atque iter tam arduum nimirum aggressurus, se precibus ejus commendaret; quatenus divina gratia opitulante, in eo quod mente conceperat, posset perseverare. Cujus illa proposito congaudens, prophetico spiritu prædicebat a se recessuro, quod primo triduo ingressus ejus in eremum penuriam pateretur; simul & exhortans eum ad constantiam, quod ante finem tertiæ diei refectionem esset accepturus: quod & postea factum est. Nam advesperascente fine tertiæ diei, cibum cælestem, scilicet manna, percepit: prædictos autem sibi a Virgine tres dies ipse ita constanter peregit, quod paratus erat eos propter promissionem ipsius etiam cum periculo transigere. Post magnam colloctionem & in mutuis orationibus recommendationem, atque mutuæ fraternitatis obligationem, ille egressus, peragratis partibus superioribus, transito mari, superiorem ingreditur Ægyptum: cujus deserta penetrans, invenit

cellam, per gradus in arbore, propter lupos & alias feras, elevatam. Adduxerat & duos secum socios, ejusdem conversationis gratia; qui paucis, post aggressam eremiticæ conversationis militiam, diebus peractis, ad vomitum reversi sunt, ipso in incepto proposito permanente.

[100] Decursis itaque in hac solitaria & eremitica conversatione fere decem & septem annis, contigit Episcopum quemdam de Anglia cum duobus sociis, [ibique annis 17 absque humano cibo viventi,] gratia visitandi sancta loca, adire Hierosolymam, ac deinde montem Sina ad Reliquias B. Catharine, Virginis & Martyris. Qui etiam memores sanctorum Patrum, qui quondam in Ægypto fuerant, ipsam Ægyptum ingressi sunt; & usque ad superiora ejus observantes discurrerunt, ut inquirerent si forte, ut prius, aliquos eremiticæ vitæ Patres invenirent. Reperiuntque tandem cellam quamdam, non longe a terra in arbore constructam: cujus ostium cum pulsassent, eo aperto viderunt hominem, vultu quidem Angelicum, sed corpore adeo crassum, ac si non in eremitica abstinentia, sed inter seculi delicias & carnis voluptates versaretur. Inter mutua igitur colloquia discunt ab eremita in spatio duodecim annorum & ultra eum hominem non vidisse. Interrogatus vero ab iis, quonam alimento uteretur, unde ita crassus effectus esset; respondit se sola divina gratia nutriri, scilicet manna cælesti, cujusmodi filii Israel utebantur cum egrederentur de Ægypto, quod cellulæ ejus influens colligere solebat & comedere.

[101] Consequenter illis sciscitantibus, an adhuc aliqui alii possent inveniri inter homines qui absque cibo humano vitam agerent sicut ipse; respondit, [in contemplatione solita innotescit;] in partibus Hollandiæ in civitate Schiedam fore Virginem, quæ multis jam annis diversis infirmitatibus divinitus flagellata, nullo uteretur

alimento corporali; quæ etiam ad tantam perfectionis celsitudinem pervenit, quod ipsum centuplo plus excederet vitæ sanctitate: ideoque cum soliti essent simul rapi ad cælestium contemplationem, singuli de locis suis & in singularibus scalis; illa tamen ipsum, sicut & vitæ merito, ita & contemplationis excellentia superascenderet. Unde & mirari se asserebat, cum de transitu ejus nihil perceperit, quid ei acciderit, quod eam in præfata scala contemplationis multo tempore non viderit. Fertur tamen eremitam causam assignasse, quod nimis inordinate super morte propinquorum suorum dolere solebat; atque ideo quamvis prius ipsa eum conversationis sanctitate & patientiæ magnitudine & contemplationis excellentia excederet; modo tamen ipse eam excederet. Quod in morte fratris ejus patuit, de quo præcedenti capitulo dictum est; qui eodem fere tempore obierat in Schiedam, quo predicta peregrinis illis recitabantur in Ægypto. Quapropter eremita rogat peregrinos ipsos, quatenus regressuri ad propria, prius intrent Hollandiam & civitatem Schiedam ac domum Virginis, eique tres has ex ore suo & parte sui proponant quæstiones. [qui ipsam per peregrinos Anglos visitari jubet,] Primo quot annos ipse solitarius in hac eremitica vita peregerit: secundo quot annorum ipse erat quando transivit ad eremum: tertio quid causæ sibi occurrerit, quod eam jam multo tempore in contemplatione solita non viderit. Post hæc valedicentes eremitæ, peregrini reversi veniunt in Hollandiam & Schiedam; ubi hospitium ingressi rogant hospitem, quatenus ducat eos ad domum Virginis. Quod cum factum fuisset, intrantes ad eam, cum causam adventus sui & personam eremitæ eos ad se mittentis designassent; illaque, sicut semper ita & nunc ex humilitate latere mallet, [ad propositas interrogationes manifeste respondere recusavit, & hoc tantum primo quaerentibus de tempore habitationis eremitæ in solitudine responsum dedit. [& hujus defectus admoneri,] Quomodo ego illud scire possum? Dominus est qui hoc

novit. Ad quod dum illi respondissent, se hoc non a se, sed ex ore eremitæ interrogasse;] respondit, eum septem & decem fere annos in solitudine peregrasse. Ad secundum respondit, eum decem & novem annorum fuisse, quando ad eremum perrexit. Ad tertium autem respondit, se in medio hominum conversantem diversimode maculari; illum vero ab hominibus segregatum, & inter Angelos quotidie conversantem, incontaminatam puritatem continue conservare: & ideo non mirandum, si ipse eam contemplationis celsitudine excederet.

[103] Dicebat quoque Virgo, eremitam illum tantæ fuisse crassitudinis, [anno 1426 sancte mortuus.] quod pinguedo colli ejus pendebat per superiorem partem sive capitium vestimenti ejus; & ob hoc tam debilem extitisse, quod nec stare posset nec sedere, sed tantum flexis genibus quietem & cetera corporis sumpsisse vel egisse necessaria. Obiit autem idem eremita anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, Octobris die duodecima: quod & huic Virgini fuit revelatum. Rapta namque in paradysum in hora transitus ejus, videbat animam illius corpore exutam ab Angelis deferri ad paradysum, [atque in fonte limpidissimo abluere, qui adeo serenus & clarus existebat, quod, ut sibi videbatur, per unum fere milliare fundum ejusdem fontis videre poterant.]

CAP. XXIX

[106] [Mulierem objectu criminis pridem confessi vexatam] In eadem quoque civitate Schiedam femina quædam erat, quam diabolus in desperationis baratrum precipitaverat; objiciens ei sæpius per somnum scedulam cum peccato quodam ab ea commisso, quasi necdum divinitus dimisso nec dimittendo; cum tamen ipsa illud sacramentaliter sæpius confessa fuisset, & absolutionem suscepisset, & pœnitentiam injunctam peregrasset. Cum

ergo sui cordis angustias huic Virgini crebrius exponeret, illaque desolatam benignis consolationibus refoveret, nec tamen quantum volebat circa eam proficeret, eo quod princeps mortis feminam sicut prius terroribus per somnum conturbaret, dicens, Nequaquam manus meas evadere poteris, quia litteris his te mihi confirmatam & subjugatam habeo; contigit ut Virgo ipsa vice quadam extra se raperetur, & inter cetera videret eundem dæmonem, chartam ipsam manibus gestantem, sed manu B. Mariæ Virginis de ejus manibus violenter ablatam dirumpi. [solicitudine liberat.] Quod postmodum ipsa Virgo, sensibus corporeis restituta, D. Joanni Walteri Confessori suo retulit, feminamque prædictam ad se revertentem, ac ut prius querimonias desolationis suæ coram ea deponentem, benigne consolans (suppressa tamen chartæ comminutione) præcepit ei ut securam deinceps esset, nec quidquam sibi mali eventurum super illo formidaret; simul & obsidem offerens se pro conscientia sua in die judicii: sicque trepidantem liberam reddidit & pacatam, ab omni præhabita mentis anxietate.

CAPUT X.

Varicæ revelationes factæ S. Liduinæ circa status defunctorum.

CAP. XXX

[107] [Cum occasione suavissimi odoris, quæ propter visitationem Salvatoris vel Sanctorum aut attactum Angeli sancti hæc Virgo reservabat, [Suaveolentiæ miraculosæ experientia allectum ad se Curatum Schiedam.] vel quem de paradisiacis & cælestibus gaudiis rediens secum portabat, ut prædictum est Capitulo XV, multas hominum visitationes pateretur, eo quod reliquiæ suavitatis istius sæpius apud eam remanerent; contigit anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, feminam

quamdam, in vicino D. Ioannis Angeli de Dordraco tunc Curati commorantem, crebrius eam ceteris visitare. Quod ille videns causamque sciscitatus, tale responsum a femina audivit: O Domine, si sciretis qualia ego apud eam experior, utique sicut ego eam crebrius visitaretis: invitabatque eum quatenus ad eam visitandam similiter accederet. Quod cum ille fecisset, insolitam suavitatem admiratus (visitaverat enim eam sæpius, sed nil tale antea senserat) interrogabat eam, an aliqua penes eam odorifera forent reposita. Tunc illa simpliciter respondit: Non utique, sed gratia Domini est.]

[108] Ab hinc ergo crebrius eam visitans & serius confessionibus ejus intendens, [qui verba ejus ante neglectim exceperat,] super novitate eorum stupefactus interrogabat, an talia prius experta fuisset. At illa: Imo, inquit, Domine: nam & vobis secreta mea sæpius revelavi. Ille vero ait, Quidquid mihi dixisti, tamquam rosæ fuerunt ante porcum quadrupedem projectæ. Dicebat autem hoc de semetipso: erat enim idem Curatus adeo lubricus, quod non veritus iudicium Dei, contra reverentiam Ordinis sui tam sacerdotalis quam monastici, cum uxore cujusdam, secundum carnem satis turpi, fornicaretur.] Super quo a cum a pluribus coram hac Virgine accusaretur, illa tamen accusantibus non credidit, eo quod crebrius illam visitaret, & Missas coram ea celebraret. [utpote homo impuræ vitæ,] Vice tamen quadam ad se ingresso illi quod audierat obiecit, simulque arguit eum quod tale peccatum [cum ligata] committeret. Sed illo cum juramentis & execrationibus objectum sibi crimen negante, virgo quasi accepta satisfactione excusantem se cum pace dimisit. [Rursum quasi de iterato peccato coram ea accusatur: accusatum, sicut prius, ipsa reprehendit: sed ille veritus fateri veritatem, juramentis & execrationibus, ut ante, se excusat.]

[109] [de crimine quo infamabatur interrogatum & negantem,] Post hæc igitur Virgo, more solito ad supernorum rapta contemplationem, videbat eundem cum prædicta femina in atrio quodam obscœnis actibus occupatum. Unde cum die quadam ad se ingressum [ut quæ a præfata femina occulte perceperat nova, etiam cum eadem circa se experiretur] sicut prius, quasi ex aliorum relatu, super eodem crimine corripere; illeque, ut ante pertinaciter contradiceret: Cur, inquit, Domine, tam pertinaciter negatis, cum tali die & hora in excessu mentis posita, in illo vos viderim loco cum ea turpiter occupari. Tunc ille vehementer confusus (sciebat enim se deprehensum) Qui, inquit, hoc tibi de me manifestavit, etiam alia plura revelare potuit: egressusque per posticum in hortum flevit amare. Deinde repressis lacrymis reversus, fatebatur vera esse quæcumque illa dixerat, [confundit Liduina,] promittens se eadem numquam amplius iteraturum. Illa vero videns eum radio divinæ veritatis illustratum; Non solum, inquit, illud peccatum commisisti, sed etiam alia tria vel quatuor obiecit crimina, exhortans eum ad emendationem; [simulque celerem ei mortis horam prædicens, tam salubri compunctionis jaculo mentem ejus vulneravit, ut legitimos insuper Confessores quæreret, seque ab eis a peccatorum suorum nexibus ecclesiastica auctoritate absolvi postularet.]

[110] Quo impetrato, cum pro commissis peccatis pœnitentiam ageret, [pœnitentem que monet,] transactis postmodum octo fere hebdomadibus, pestilentia morbo percussus est. [Ingressus igitur ad Virginem interrogat, an se per sacram Unctionem ad mortem præparare debeat. Consentit illa. Et primo quidem communicatus est; deinde ingravescente morbo in tantum debilitatus est, quod pro inunctione sua consilium Virginis audire cupiens, sed non valens, [de extremis sacramentis suscipiendis:] ad eam se cum carruca vehi flagitaret. Sed & illud cum præ

debilitate convenienter fieri non posset, mediante nuntio sciscitatur, quid pro inunctione sua consuleret. Remandat illa, quod parum cerevisiæ cum pane comedat, quod si per unius horæ spatium intra viscera retinere posset, sciat se nec moriturum nec inungi oportere. Sumit ille imperatum cibum, & per tria fere quartalia horæ infatigabiliter sustinens, quasi jam non moriturus, exultat. Sed rursus subitanea nausea provocante] suspicatus se mori, vocat Sacerdotem: inter cujus inungentis manus defunctus in die Nativitatis Beatæ Virginis, anno Domini prænotato, scilicet millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, ad locum, a divina justitia sibi misericorditer præparatum perductus est.]

CAP. XXXI

[114] In villa, cui nomen Ouderschie, erat quidam dictus Balduinus van den Velde, [alium ipsa qua moritur nocte,] custos ecclesiæ ejusdem villæ; qui infirmitate præventus in nocte conversionis S. Pauli, tunc obiit, anno videlicet Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto. Eadem nocte hæc Virgo, more solito rapta a sensibus corporis, venit ad quemdam montem, ad cujus radicem videbat hominem, prius & tunc sibi incognitum, volentem montem ipsum ascendere, [visa est labore summo montem stare:] sed præ invaletudine non valentem. Quem cum, ab eodem rogata, humeris suis impositum sursum portasset, mirata ponderositatem ejus, interrogabat, quo vocaretur nomine. Qui respondens dixit vocatum se Balduinum van den Velde. Mane facto Confessor Virginis ingressus in cellulam ejus, invenit eam, quasi præ lassitudine post laborem magnum, graviter anhelantem & præ defectu anhelitum vix trahere valentem. Interrogata causam, respondit, se a radice cujusdam montis usque ad verticem ejus portasse virum, nomine Balduinum van den Velde, id est, de Rure denominatum, sibi penitus incognitum prius: qui tantæ

ponderositatis fuit, quod ipsa nunc sibi restituta, vix subsistere posset. Super quo Presbyter miratus, recordabatur custodis ecclesiæ in Ouderschie, qui Balduinus quidem vocabatur, sed cognomen ejus ignorabat. Post biduum autem idem Confessor veniens ad villam Ouderschie causa celebrationis, interrogabat feminam quamdam de cognomine & statu ejusdem custodis: quæ cognomen edixit, sicut Virgini fuerat revelatum; simul & eadem nocte defunctum asseveravit, qua eundem Virgo de radice montis ad ejusdem cacumen portaverit.

[115] [sæpius adducta ad videndos sic laborantes,] Alia quoque vice, more solito rapta, venit circa quemdam montem, juxta quem videbat diversos diversimode oberrantes: alios videlicet circa radicem ejus, alios altius, & alios adhuc in eminentiori loco montis ejusdem; volentes quidem montem ascendere, sed non valentes; nec qui adjuvaret ut ascendere possent, habentes. Cum instarent autem aliquæ præcipuæ festivitates, per aliquot dies ante talia festa, rapiebatur ad videndum loca purgatoria, ut videret calamitates indigentium auxilii aliorum, nec sibi ipsis subvenire valentium, quorum voce loquitur B. Job dicens: Misere mini mei, misere mini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. [Iob 19, 21] Reversa deinde, cum pro eorum liberatione quotidianas febres sustineret, amarissimeque plangeret & assidue divinam misericordiam exoraret; in ipsis festivitibus rursum rapta, [plurimos eorum juvat,] pro eorumdem agnita redemptione tanto gaudio tripudiabat, quod se vix capere posset. Licet autem ceteris diebus plures frequenter eriperet, in præcipuis tamen festivitibus multo plures & in majori copia. Adeo autem acriter plorabat super miseriis eorum, quod frequenter in ea naturales lacrymæ, id est aqueæ, deficerent, & supernaturaliter lacrymæ sanguineæ succederent: quas super genas ejus coagulatas successu temporis D.

Ioannes Confessor ejus, [etiam lacrymas sanguineas fundendo.] cum naturalibus lacrymis emollirentur, abradens, in sacculo conditas in scrinio penes se reservabat, atque sub capite illius post mortem illius, sicut desideraverat, reponebat.

CAP. XXII

[116] [Post mortem Ducis Wilhelmi Comitis Hollandiæ, cum audisset uxor ejus D. Margareta de marito & domino suo, [de statu Wilhelmi Ducis mortui subterfugit respondere,] quod hæc Virgo dixisset eum jam fore salvatum; misit ad eam unum de famulis suis, ut investigaret rei veritatem. Audierat etiam quod hæc Virgo fuisset mortua per triduum, & revixisset. Interrogata igitur super utroque ab ipso nuntio, ad unum quidem ita respondit: Si triduo mortua fuissem, Schiedamenses diu me sepelissent. Ad aliud autem, sicut ridiculosum judicabat quod interrogabatur, ita & ridiculose quodammodo respondit, dicens: Si ille esset in vita æterna, tum Dominus injuriaretur mihi, quæ jam decem & septem annis gravissimis infirmitatibus detenta, de lecto non descendi nec terram tetigi: quapropter peto ne occasione mei peccetis: sicque qui incertus venerat, incertior recessit. Contigerunt autem hæc anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo, in quo & defunctus Dux Wilhelmus defunctus fuit. De pluribus tamen religiosis defunctis certam nonnumquam dabat sententiam, quod essent salvati & ad gaudium Domini sui introducti. [uti & de tempore venturis Antechristi.] De novissimis quoque temporibus & de adventu Antichristi dicere solebat, quod ipsa non eorum esset visura. Cautè tamen de talibus loquebatur, & quasi ex libris audivisset, quos tamen materiales vel corporales corporaliter fortassis numquam viderat vel audiverat. Dicebat autem signum quoddam futurum in regione ubi Antichristus nasciturus est, & quod ipso anno quo nascetur herbæ &

arbores sanguinem stillarent, & hoc tria stillicidia per singula folia].

CAPUT XI.

Quomodo Liduina Eucharistiam usurparet & eam semel cœlitus missam acceperit, post Christi crucifixi apparitionem.

CAP XXXIII

[117] Cum sane Virgo ista a principio ægriitudinum suarum parco valde & superhumano uteretur cibo, [Alterius cibi potusque impatiens Liduina,] & ad extremum nullum penitus cibum corporalem vel potum per plures annos usque ad mortem suam sumeret, vel etiam sumere posset; solum erat venerabile Sacramentum Corporis Christi, cujus frequenti susceptione non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter sustentari videbatur. Et cum neque panem neque quemlibet alium cibum corporalem, [Eucharistia fere sola sustentatur,] quantumcumque parvum, a medio fere tempore suarum infirmitatum usque ad finem vitæ suæ, aliquatenus sumere vel glutire posset, istum tamen celestem panem quoties percipiebat, singulari quadam gratia & dulcedine facillime deglutiebat.] Hinc quantum per corporales infirmitates corporaliter deficiebat & corporalem cibum minus sumebat; tanto per hunc sanctum & supercelestem cibum amplius in spiritu confortabatur & spiritualiter vivebat. Unde & desiderium, amor & devotio ad ipsum sanctum Corpus Domini tantum in ea crescebat, quod diutius abstinere ab ejus perceptione non poterat a [Itaque in principio sui morbi, solebat quotannis semel in festo sancto Paschæ sacram sumere Eucharistiam; bis autem post initium spiritualium consolationum ejus: ac denique, circa mortem matris ejus expleri desiderium

ejus non potuit, nisi quinies sexiesue quotannis sacro epulo reficeretur.]

[118] Ecclesiam Schiedammensam anno circiter millesimo quadringentesimo septimo vel octavo regendam Curatus susceperat D. Andreas, [id credere nolens novus Curatus,] Ordinis Præmonstratensis ex Marienward. Hic cum minime crederet Virginem sine corporali cibo eatenus vivere posse, ipsique per aliquot tempus Corpus Domini satis invite porrigeret, anno tandem millesimo quadringentesimo duodecimo cæpit animo concipere, quod eam tentaret, si ex sola gratia Dei, ut dicebatur, viveret. Quod quidem Angelus Domini præsentiens, ipsi Virgini nuntiare atque eamdem præmunire non distulit. Itaque circa festum nativitatis beatissimæ Virginis Mariæ, eundem Curatum Virgo per nuntium rogavit, ut ad se deferret Corpus Domini ad communicandum eam. Qui statim venit ad ipsam, & audita ejus confessione, porrexit illi loco sacræ Eucharistiæ hostiam quamdam non consecratam, reputans quod cum illa posset contentari. [eam tentat per hostiam non consecratam;] Sed [frustra jacitur rete ante oculos pennarum: nam] Virgo, cum eamdem hostiam nequaquam posset insumere vel deglutire, deprehendit ex hoc certissime hostiam illam non fuisse consecratam, nec ibi contineri Corpus Domini; unde ipsam protinus expuit ex ore suo.

[119] Quod ut vidit Curatus, ipsam quasi commotus corripuit, [quam illa expuit,] tamquam Corpus Domini per industriam expuisset. Cui virgo respondit: O Domine, putatis me ratione privatam, ut nequeam discernere inter Corpus Domini & simplicem panem non consecratum? cum tamen Corpus Domini facillime sumam & deglutiam, panem autem simplicem nequaquam deglutire valeo sed evomo illum. Quibus verbis confusus Curatus (sciebat enim se deprehensum) surgens, ipsa non communicata, ad ecclesiam reversus est. Remansit itaque Virgo in gravi

mærore, tum propter carentiam sacræ Communionis tum etiam propter duritiam & incredulitatem ipsius Curati: atque in eodem mærore fuit usque ad festum Conceptionis B. Mariæ.

[120] In ipso autem die Conceptionis B. Mariæ, cum celebrarentur in ecclesia primæ Missæ, [& promissum ab Angelo accipit] Angelus Domini de mane cum magna claritate Virgini apparuit, ita quod tota cellula ejus nimio splendore refulgeret: qui & Virginem blande consolans prædixit illi, quod in proximo Dominum salvatorem suum, pro se mortuum & in cruce suspensum, indubitanter visura esset in carne & sanguine; eo quod Curatus sic illam contristasset, simplicem panem porrigendo pro Sacramento Corporis Domini. Eadem autem hora quidam aderant in exteriori camera, [Christum in carne videndi:] qui pro consilio & curatione ægrotantis pueri ad Virginem venerant, & accepto consilio jam egressi fuerant: cum autem viderent tantam claritatem in cella Virginis, putantes incendium, ingressi sunt ut illud extinguerent: quos illa consolans, excusato incendio, a se dimisit.

[121] [qui ipsi in specie pueri crucifixi apparent] Post hoc vero secunda feria ante festum S. Thomæ, quæ tunc erat immediate ante Vigiliam ejusdem Apostoli, de sero tarde inter octavam & nonam horam, iterum intravit in cellam Virginis magna quædam claritas. Cujus irradiationem cum clausis, oculis occupata in exercitiis suis, sentiret; mox oculos aperiens, videbat secus pedes lectuli sui crucem quamdam, ad similitudinem & magnitudinem earum quibus inunguntur infirmi, ac in eadem cruce pendentem affixum, quasi puerum viventem in carne & sanguine, cum quinque vulneribus: quem ipsa judicabat esse verum Deum & hominem Iesum Christum, pro nobis crucifixum. Cum quo dum dulciter loqueretur & gratias ageret illi, e protinus is qui apparuit, quasi volens recedere, ascendit cum cruce usque ad solarium, sub quo

Virgo jacebat. Tunc illa ferventi amore accensa, clamabat dicens: O Domine, si vere tu es, & jam vis recedere a me; obsecro te, ut saltem aliquod signum mihi relinquant, quo scire queam quod tu veraciter hic fueris, & unde tui recordari valeam.

[122] Statim ergo qui recessurus ascendere videbatur, descendens super eam, [pro se relinquit Hostiam quinque locis sanguinem,] transformabatur quasi in Hostiam, majorem quidem iis quibus vulgus communicat, sed minorem iis cum quibus Sacerdotes celebrant, circumdatam veluti quodam circuloso diademate ex luminosis valde radiis; pendebatque ante oculos ejus in aëre parum ultra genua ejus, supra mappam, qua pro parte erat operta. Habebat quoque eadem Hostia, ad instar Domini crucifixi, quinque cicatrices sanguineas, scilicet in manibus ac pedibus & latere dextro; atque in ipso latere erat sanguis coagulatus ad magnitudinem quasi dimidiæ pisæ. Ad cujus aspectum nimirum cor Virginis tanto gaudio tripudiabat atque saltabat, quod præ vehementia horum saltuum circa vitalia pectoris adeo angustiabatur, quod putabat se morituram: ideoque pro refocillatione illius angustiae, quam ex tali gaudio conceperat, [quam videre quotquot tunc in domo erant.] oportebat cor ejus manu Catharinæ, uxoris Magistri Simonis barbitonsoris honestæ feminæ, quæ tunc vocata advenerat, quodammodo refrænari, ne ex vehementia saltuum corporaliter deficeret. Porro Hostiam ipsam, quæ, ut præfertur, in quinque cicatricibus guttis sanguineis consignata erat, alii quoque nonnulli qui advenerant aperte viderunt, & præcipue pater Virginis ac etiam Wilhelmus frater ejus: sed & supradicta Catharina barbitonsoris, & neptis ejusdem Virginis, ac Margareta, ac Ecketgen, ac Wynen honestæ feminæ: quarum aliquæ viderunt eam in quatuor locis cruentatam, aliquæ in quinque.

[123] [Curatus accersitus] Hæc autem cum fierent, miserat Virgo fratrem suum, significaturum Curato ea quæ accidebant: ipse vero hæc audiens non credidit, surrexit tamen e strato, & illotis manibus properanter venit. Ac primo quidem omnes e cubiculo expulit, deinde eo firmiter obserato, adjuravit Virginem per iudicium Dei viventis, ut nemini quæ contigerant diceret. [Videbat quidem & ipse Hostiam eamdem, cum quinque cicatricibus sanguineis signatam; sed tamen nullatenus credidit, eam divini muneris gratia cælitus a Domino Iesu Christo ipsi Virgini, ad consolationis & devotionis incitamentum, ostensam & exhibitam; sed potius illusionem diaboli, ad deceptionem Virginis procuratam.] Rogavit autem eum Virgo obnixè, ac vehementer desideravit, ut sibi hanc Hostiam porrigeret sumendam. [ægre adducitur ut eam ipsi ministret,] Tunc ille, Si vis, inquit, communicare, ministrabo tibi Eucharistiam de ecclesia, quam scio veraciter esse Corpus Domini; de ista autem dubito quid sit. Sed cum Virgo instantius peteret sibi hanc Hostiam ministrari, ille tandem consentiens tradidit eam sibi; quamvis minime crederet ipsam esse alicujus gratiæ vel virtutis. At vero Virgo eam summa cum reverentia suscepit, ut verum Corpus Domini nostri Iesu Christi. [In cuius sumptione hoc mirabile sibi contigit, quod cum Hostias non consecratas vel alios panes consimiles, quantumcumque exiguos, sæpius oblatos, nullo modo potuisset deglutire; hanc tamen Hostiam facillime deglutiebat: quæ & vertebatur in ore ejus, ac deinde ad interiora dulciter transibat], per omnem modum quem experiri solebat in sumptione sanctæ Eucharistiæ.

[124] [publice declarans Liduinam a diabolo deceptam,] Postera die sub sacrificio matutinali, admonuit Curatus collectum in ecclesia populum, ut pro Virgine singuli unum Pater-noster & Ave-Maria recitarent, velut quæ non satis mentis suæ compos, ea nocte fuisset diabolicis tentationibus impetita, ut ab illusionem libera, constans in

tolerantia permaneret. Tunc sumpto Venerabili Sacramento abiit ad domum Virginis, & multus eum populus cum admiratione secutus est. Ingressus autem in cellam Virginis, iussit ut omnes flexis genibus unum Pater & Ave recitarent, ad Dei gloriam & Virginis salutem, atque ita omnes affatus est: Scitote, carissimi, quod hac nocte fuerit hic diabolus, Virginem hanc tentans, qui apud eam reliquit profanam hostiam, quæ non erat Deus: pro cuius rei testimonio paratus sum vivus comburi: sed & pro eo quod in hoc Venerabili Sacramento vere sit Homo-Deus, in carne & sanguine. Hoc autem dare ei volo, ut deinceps diabolicis tentationibus viriliter possit resistere: [eidem Christi corpus ex ecclesia defert.] vosque rogo ut rursus unum Paternoster velitis dicere, quatenus ad animæ suæ salutem illud suscipere mereatur. His dictis assedit prope eam: quæ cœpit eum amice alloqui & dicere: Domine, non recte locutus es: neque enim quod factum est, diaboli opus fuit. Etenim priusquam id accideret curavi monendum te, quod hoc mihi Angelus Dei prædixisset, ut & tu facilius crederes: sed & alia multa secretorum meorum revelavi tibi, ut gratiæ Dei in me operanti fidem dares. Itaque te rogo, ut ne amplius dicas diabolicum tentamentum aut opus hoc esse. Post hæc Curatus, in sua opinione pertinax, Virginem hortatus est ad patientiam, eamdemque Dominici Corporis communionem impertiit, & sic ad ecclesiam rediit.

[125] Interim gliscere cœpit in populo tanta contra Curatum indignatio, [hinc contra Curatum plebs commovetur,] ut non auderet ab ecclesia domum reverti. Venerunt autem ad ipsum Scultetus & Scabini civitatis Schiedammensis in cœmeterio, volentes rei quæ acciderat veritatem ab eo discere. Qui dixit, diabolum accessisse ad Virginem illudendam, ipsique Hostiam quamdam reliquisse, quam ipse Curatus igni combusserit. Sed ea cum ex Scabinis audiret populus, magis etiam indignari cœpit; & dixit eum loqui præter veritatem, prout

viri ac feminæ fide digno testimonio veraciter asseverabant. Tunc reversi dixerunt Curato, populum adversus eum vehementer commoveri, [qui non valens reddere asserti rationem,] eo quod veritatem celaret, ideoque suadebant ut non palam in populi conspectum veniret. Priora igitur verba sua commutavit Curatus, & dixit se Hostiam prædictam in aquas conjecisse. Crescente autem vulgi tumultu etiam extra oppidum Schiedamense, D. Ioannes de Clerck Provisor Schielandensis, & D. Matthias suffraganeus Episcopi Trajectensis, [audito tanto miraculo divinæ bonitatis circa hanc Virginem divinitus ostenso], venit Schiedam circa idem tempus, cum aliis quibusdam viris honoratis & industriis, certius scire cupiens rei veritatem: ipse enim Dominus Episcopus dicebat, quod ad hoc esset in somnis admonitus.

[126] [auxilium petit a Liduina:] Hæc videns Curatus, conturbatus est animoque dejectus: & quia nullum satis utile sibi ipse poterat invenire consilium, clam misit ad Virginem, qui pro amore Dei supplicarent, ut ignorantiam suam prudenter excusare, ipsumque e præsentis periculo vellet eximere. Episcopus autem & Provisor, assumpto secum Curato multum lacrymante, in comitatu multorum Ecclesiasticorum & laicorum, iverunt ad sacram Virginem, volentes ex ea veritatem discere. [hæc Curati impunitatem pacta,] Verum negavit illa dicturam se quidquam, nisi imposita sibi per expressum Episcopi mandatum loquendi necessitate, obtentaque ab ipso & cunctis circumstantibus per Dei iudicium adjuratis fide, quod nemini quamdiu esset in vivis revelarent hujus sui secreti mysterium, neque Curato suo id umquam fraudi esset, sine in corpore sine in honore suo vel officio: sed quidquid fassura esset, velut Confessionis sigillo obsignatum haberent. Quod cum Episcopus & Domini omnes promisissent, rogavit Virgo, ut ad leniendam Curati verecundiam, laici omnes exesse juberentur.

[127] Tum Virgo, præfata quod esset parata mori in testimonium veritatis, quam esset palam elocutura, [rem omnem Suffraganeo aperit,] dixit; Dominus noster Iesus Christus hic in fine lectuli spectabilis mihi adstitit in carne & sanguine, formam habens pueri crucifixi, cum cicatricibus quinque & splendore magno. Cum autem mihi videretur discessurus, sic ad eum locuta sum: O Domine mi, si prorsus hinc abire certum est, relinque mihi signum aliquod memorativum tui. Tunc rursus descendens ille ad me, commutavit sese in formam Hostiæ, minoris paulo minorem quam Sacerdotalis, intraque pectus ac genua mea stetit erecta; quam volenti mihi sumere D. Andreas Curatus dedit. Quare vos rogo indulgete ei, siquid perperam dixit aut fecit. Hæc illa cum dixisset, advocati sunt, coram magistratu Schiedamensi, Pater & frater Virginis & aliæ prædictæ mulieres, [qui auditis testibus miraculum probat.] firmiterque sub attestazione jurisiurandi asseverarunt ita esse, sicut per Virginem audierant; seseque oculis suis eandem sacram Hostiam, in quinque locis, ut præfertur, cruentatam, certissime vidisse. Acta sunt hæc in anno millesimo sexcentesimo duodecimo, feria sexta post festum S. Thomæ, id est ante Vigiliam Nativitatis. [Idem autem suffraganeus Deum magnifice collaudans, de tam ineffabili pietate divina huic Virgini in tam mirifico signo exhibita; mappam ipsam, super quam eadem sacra Hostia divinitus apparens jacere visa fuit, in usum altaris ac celebrationis de cetero habendam, ob reverentiam tanti signi consecravit.]

[128] [Ex hinc ad frequentiolem Communionem Virgo accenditur,] Eodem anno, scilicet ex vehementia doloris, particulatim evomuit pulmonem & hepar cum pluribus intestinis [sicut dictum est supra Capitulo V] & brachium ejus dexterum quasi solutum fuit a junctura scapulæ, de quo infra dicetur. Post hæc; [sicut habebatur in littera Rectorum civitatis Scheidammensis conscriptum] tanto amore divino & desiderio sacræ Communionis cor hujus

Virginis accendebatur, quod pluribus annis per omnem quindenam sumeret venerabile Sacramentum Eucharistiæ de manibus Sacerdotis: quem etiam ad hoc multa oportebat uti subtilitate & providentia, quod alias non potuisset illud insumere vel deglutire: postea porrigebat ei parum aquæ pro ablutione, qua etiam tantam difficultatem patiebatur in gutture, quod vix poterat eam deglutire. Interdum tamen non porrigebat ei aliquam ablutionem, propter nimiam difficultatem, quam exinde patiebatur. Et hic quidem status Communionis ejus fuit usque post annum Domini millesimum quadringentesimum vigesimum primum. [quam denique sumpsit quoties libera erat a feбри,] Ab hinc autem usque ad mortem suam, communiter patiebatur febres quartanas, & interdum quotidianas, pro sublevatione animarum in purgatorio. Quo tempore tanto divino amore flagrabat, quod communiter, quando quartanæ febris accessum non patiebatur, duobus diebus conjunctim communicabat, de manibus Confessorum suorum, scilicet D. Ioannis Angeli de Dordracō & D. Ioannis Walteri de Leydis.

[129] [maxime tempore desolationis.] Interdum quoque tempore subtractæ solitæ divinæ consolationis, quæ sibi erat refectio tam corporis quam animæ, in tantum corpore debilitabatur, quod propterea, quasi sine refectioe spiritali subsistere etiam corporaliter non valens, pro sustentatione utriusque, corporis scilicet & animæ, hoc sacrosanctum Dominici Corporis epulum (quando, sicut dictum est, non patiebatur accessum februm) crebrius sumebat. In cujus sumptione tanto divino lumine frequenter intrinsecus illuminabatur, quod quemadmodum corporalibus oculis corporalia, [Quomodo intus per eam illustraretur.] ita & ipsa hoc supercaelesti perfusa lumine, omnia sua interiora oculo mentali perspiciebat. Hoc & ceteris temporibus frequenter ei contingebat in præsentia luminis contemplativi: unde postea tempore derelictionis & ariditatis suæ, cum hanc

illustrationem per divinam dispensationem non sentiret, memor præteritorum dierum suorum cum gemitu dicere solebat: O ubi sunt nunc dies illi, in quibus interiora mea interno oculo, sicut corporalia corporali oculo solebam intueri. [Sicque perficiebatur in ea quod scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum. [Ecli. 11, 27]]

CAPUT XII.

Alia Dei opera circa S. Liduinam usque ad mortem ejus.

C. XXXIV

[130] Eo tempore, quo, sicut prædictum est, Hostia sacramentalis apud hanc Virginem reperta fuerat, [Adjurata explicare Incarnationis mysterium] erat quidam Doctor sacræ theologiæ in civitate Trajectensi, de domo Ordinis Fratrum Prædicatorum: qui cum hoc tam mirabile quam alia plura, quæ circa eam fiebant, audisset & indies audiret, atque hæc a diversis diversimode interpretari; nec tamen, eo quod sale discretionis esset conditus, auderet parti negativæ consentire; [quemadmodum quondam Regina Saba ad Salomonem, ita iste] ut de iis certificari posset, venit tentare eam in ænigmatibus. Ingressus igitur in cellam ejus, inter cetera colloquia interrogabat eam, per quem modum factum fuerat a beatissima Trinitate opus Incarnationis Verbi. Cumque illa, utputa in vera humilitate fundata, latere malens quam se ostentare, multiplici excusatione & verborum circumvolutione id se nescire quodammodo affirmaret; ille eam adiuravit per tremendum Dei judicium, quatenus, si nosset, veritatem non taceret. Tunc Virgo vehementer lacrymata, adeo quod etiam Fratrem illum ad lacrymas provocaret, similitudine convenientissima mirabilem hanc operationem, necessitate compulsam, declarabat.

[131] Sumebat autem similitudinem hanc a corpore solis, [aptissima similitudine sensum suum aperit.] quasi ex ipso sole tres distincti radii procederent, qui in unum radium per unionem redacti, circa ipsum quidem solem latitudine amplissima diffusi: extremitatem suam in subtilitatem acuminis sive radium acutum ad modum lanceæ terminantes, mediante ipso acuto radio sive acumine domus interiora penetrarent. Per solem igitur intelligebat summam & æternam Deitatem; per tres radios a sole procedentes, operationem trium Personarum in Verbi Incarnatione; per unionem trium radiorum in unum radium, identitatem & inseparabilitatem operationis significari dicebat trium divinarum Personarum in ejusdem Verbi Incarnatione: acumen horum radiorum, sive acutum radium ex tribus conjunctis radiis procedentem, appellavit personam Verbi sive Filii incarnati, cujus Incarnationem tres divinæ Personæ inseparabiliter sunt operatæ; qui & ad interiora virginalis uteri penetrans, de purissima substantia illius sumptam particulam sibi in unitate personæ univit. Quo audito Prædicator ait, se numquam quidem talem similitudinem in Scripturis legisse vel reperisse, verumtamen hanc Christianissimam fore: & ideo non audebat de cetero de hac Virgine, nisi quæ recta sunt & bona, dicere vel credere aut cogitare, tamquam de vera famula Dei. Rogabat autem eadem Virgo Fratrem prædictum, ne quod ipsa ei dixerat, alicui, quamdiu ipsa viveret, revelaret.

C. XXXV

[132] Post ea quæ supra dicta sunt de Hostia, quæ apparuit super lectum hujus Virginis, & paucis tempore ante mortem D. Andreae Curati in Schiedam, [Pestilentia laborans,] de quo supra dictum est; eadem Virgo infecta erat morbo epidemico pestilentiali, multique ex eadem peste tunc temporis ex dicta civitate moriebantur.

Quadam ergo vice, desiderio sacræ Communionis accensa, mittebat fratrem suum Wilhelmum ad ecclesiam, supplicans quatenus adduceret Curatum cum Sacramento, ut eam communicaret. Qui quamvis sciebat eam infectam præfato morbo (habebat enim tunc in brachio suo duo vel tria ejusdem pestis apostemata nigra) nihilominus tamen venit cum Sacramento: ingressusque cellam ejus, resedit circa lectum ejus, ut audiret confessionem ejus: qua audita, tradidit ei Corpus Domini. [Curato suo prædicit, quod sit ante ipsam moriturus;] Deinde conversa Virgo videbat, qualiter idem Curatus obstruebat os suum & nares, quasi timuisset ab ea infici. Dixit ergo ei: O Domine, nec vos nec alius quispiam suscipiet mortem occasione mei. Cui respondit Curatus, Carissima filia, utinam tamdiu vivere possem, donec viderem terminum vitæ tuæ. Cui illa ait: Domine, vos non videbitis finem vitæ meæ, sed ego brevi videbo finem vestrum: quapropter supplico, quatenus vos ita disponatis, sicut ante tribunal Domini vultis apparere.

[133] Erat tunc Curatus sanus, nec quid quam sentiebat infirmitatis, & ideo non ponderabat verba Virginis. Modico autem transacto tempore cum incurrisset infirmitatem, recordatus est verborum ejus; [frustra que de restitutione admonitum] & mittens unum de amicis suis, supplicabat quatenus sibi dimitteret quæ contra eam commiserat (sciebat enim se non egisse cum ea sicut debuerat) atque ut pro se oraret ad Dominum, quatenus sibi quæ saluti suæ necessaria erant, concederet. Tunc Virgo, quæ semper ex corde compatiebatur hominibus & specialiter infirmis, demandavit ei quatenus se per veram Confessionem præpararet, & ut injusta quæ in domo sua habebat Dominis ac possessoribus suis restitueret. Qui excusans se cum remandasset, se nihil injusti in domo sua habere; illa rursus demandans, ostendit ei loca in quibus ea reposuerat, [videt in inferno torqueri.] & personas quibus pertinebant; supplicans insuper quatenus eisdem

sua propria quæ abstulerat redderet, si vellet habere partem in regno Dei. Erat autem idem Curatus, ut dicebatur, ita infectus avaritia, quod parvipendens verba Virginis nolebat injuste possessa restituere; atque defunctus est.

[His & aliis quamplurimis signorum prodigiis, pro divinitus inflictis sibi vulnere præfatarum tribulationum, [Ad priores ejus infirmitates,] a misericordis Patre coram hominibus est glorificata: tales quoque vicissitudines gratiæ spiritualis, hominibus ignotæ, pro revelatione earumdem infirmitatum experiebatur per annos fere viginti quatuor ante mortem suam, videlicet usque ad annum Domini millesimum quadragesimum trigesimum tertium, ante Purificationem beatæ Virginis, quæ erat terminus trigesimi octavi anni ab exordio ægritudinum suarum.] Ab hoc autem tempore, scilicet circa festum Purificationis beatæ Virginis, usque ad festum Paschæ, cum aliis infirmitatibus quas prius habuerat, tanta molestia calculi, quantitatem ovi columbæ (ut ipsa dicebat) habentis, gravabatur; quod ipsa dicebat, [accedit molestissimus calculus,] quod idem calculus mortem sibi erat allaturus. In tantum enim molestia illius calculi angustiabatur, quod frequenter duabus vel tribus vicibus in una hora quasi exanimis jacens, non poterat loqui. Qua angustia cessante, & cum vehementi dentium stridore & morsu ad invicem, absque tamen verbis impatientiæ, vix transacta; paucissimis verbis uti poterat. Eo quoque tempore divinitus ita raro visitabatur per internas consolationes, quod se D. Ioanni Confessori suo quodammodo derelictam a Domino, præ solito, cum multis lacrymis conquerebatur. Habebat autem apud se filium fratris sui, Baldewinum nomine, puerum duodennem, fere continue sibi ministrantem: [quo cito se extinguendam prævidens,] qui ut memoria retineret quæ circa eam, scilicet amitam suam, fiebant mirabilia; tali gratia & miraculo procurabat ei infirmitatem, per quam, ut ipsa dicebat, recordaretur

eorumdem mirabilium. Utebatur idem puer amphora, ex qua solebat libere. Circa festum igitur Nativitatis beatæ Virginis, hoc præsentis anni obitus sui, præcepit hæc Virgo eidem puero de vespere, ut amphoram ipsam semiplenam tenui cerevisia in cella sua circa lectulum ejus collocaret. Quod cum ille fecisset, ipsa Virgo facto mane puerum advocans, præcepit illi tollere amphoram & bibere. Cum ergo accepisset, invenit eam plenam novo quodam poculo, [ne potulo suo febrim immittit,] divinitus præparato, quasi ex mixtura cynamomi & aliarum specierum suaviter redolentium confecto. Sicut autem hæc sancta Virgo, secundum multitudinem tribulationum quibus quotidie flagellabatur, divinis etiam consolationibus refovebatur; sic e converso prædictus puer, accepto & potato quantum volebat de prædicto poculo, statim eodem die cœpit languere, & successive diversis febribus inquietari, usque circa natale B. Martini Episcopi ejusdem anni.

[136] [per potum miraculosum aliisque innoxium.] Ex eodem quoque poculo miraculoso diversi potabant, non tamen incurrebant aliquas infirmitates, sicut puer præfatus. Similiter & diversi liquores, in prædictam amphoram missi, potantibus saporem præfati suavissimi poculi præbuerunt. Curato autem prædicto puero a febribus suis, D. Ioannes Confessor hujus Virginis incidit in febres quartanas; quas & eodem die, quo ipsa Virgo, easdem sustinebat, patiebatur. Quo tempore naturalis soror D. Ioannis, Sela nomine, interrogabat hanc Virginem, [Confessori suo vitam impetrat longiorem:] quamdiu febres fratris sui essent duraturæ. Quæ respondit, eum ab his liberandum fore Dominica prima Quadragesimæ anni sequentis: quod & factum est. [Retulit ipsa sancta Virgo pluribus annis ante obitum suum cuidam Fratri Ordinis nostri, scilicet Minorum, sic tamen quod ille quamdiu ipsa viveret nemini diceret; qualiter videlicet cum idem D. Ioannes gravi infirmitate

usque ad mortem laboraret, ipsa precum suarum instantia eidem & mortis dilationem & vitæ prolongationem impetravit: diligebat enim eum cordiali affectu, quippe quem sibi secundum Deum satis unanimen experta fuerat.]

[137] Ipsa autem sancta Virgo continuabat infirmitates suas usque ad mortem: [indicat se in Paschate morituram,] quam & longe ante præscivit. Nam & Prior quidam ab eadem demandatus cum venisset ad eam sabbato in Quinquagesima ejusdem anni, scilicet in profesto Cathedræ B. Petri Apostoli, sequenti die summo mane, circa quartam horam ejusdem Dominicæ, admonebat D. Ioannes eundem Priorem, ut intraret cellam ejus, si quid gratiæ spiritualis circa eam vellet experiri. Cum ergo cellam ipsam intrasset, tantam in ea fragrantiam suavis odoris sensit, quam ipsa beata Virgo, pro tunc a Domino visitata & ad loca cælestia deducta, reportaverat, quasi in eadem cella diversæ species aromaticæ repositæ fuissent. Post mutuam itaque colloquium habitum de iis propter quæ venerat, recessurum Priorem admonuit ipsa Virgo, quatenus in diebus Paschalibus ad se rediret, ad conferendum adhuc de eisdem; postulans ab eo, quod si non inveniret eam, oraret pro ea. Ex quibus verbis satis patet, hoc eam de morte sua dixisse, licet ejusdem mortis mentionem non fecerit.

[138] [Inter alias res admirabiles quas hæc sancta Virgo solebat videre in paradiso, vidit ante mortem suam ter vel quater in anno rosarum plantam; exilem primum, sed progressu temporis valde excrescentem, sub qua solebat requiescere: de qua arbuscula dicebat ei Angelus, non prius quam percevisset & rosæ ejus omnes ad maturitatem venissent, [quod cælo matura esset in visu edocetur.] ipsam Virginem morituram. Id cum ex ea intellexissent D. Ioannes Walteri Confessarius ejus &

vidua Catharina prædicta, hæc eam sæpe interrogabat, numquid jam maturuissent omnes ejus rosæ; nec aliud responsi referebat, quam adhuc multum deesse. Ast tribus ante obitum mensibus dixit Virgo, jam plene adultam videri arborem, omnesque ejus rosas esse apertas, ideoque sperare se quod non diu esset futura in vivis: prout reipsa contigit].

[139] Adveniente autem solennitate Paschali, in ipsa sancta nocte Dominicæ Resurrectionis, [& in ultimo suo raptu,] circa quartam horam, prædictus D. Ioannes e Confessor ejus ingressus ad eam, tam ex odore manuum ejus quam ex verbis ipsius animadvertit, quod fuerit more solito ab Angelo sancto visitata: [tantam enim, ut mihi dicebat, apud eam suavitatem sentiebat, quod putabatur diversorum aromatum unguentis peruncta. Super quo cum ille, ei congratulans, [audit celeste Alleluia,] Domino gratias ageret,] ipsa ad se reversa, post tunc habitam visitationem, fatebatur se divinitus quidem consolatam, pœnas tamen asserebat sibi gravissimas instare, quas per eadem festa Paschalia erat passura. Dicebat quoque se in eadem nocte audivisse in cœlis Alleluia cantari, ac sperare, quod idem Alleluia cum cœlestibus civibus breviter in majori gaudio & consolatione esset canitura; leviusque se habituram ab illis gravaminibus, postquam festa transissent. Quod etsi putetur dixisse ac prædixisse de morte sua, non tamen indicavit se breviter morituram. Singulis tamen diebus dicebat, quod pœnæ, quas illis tribus diebus, scilicet ipso sancto Paschæ die feria quoque secunda & tertia patiebatur, non diu essent duraturæ: sicut postea rei probavit eventus.

CAPUT XIII.

De morte ac sepultura S. Liduinæ, & miris circa eas notatis.

C. XXXIX

[140] Feria autem tertia infra octavas Paschæ, rogabat D. Iohannem Confessorem suum, [lussis omnibus exesse] de mane ad se ingressum, quod nec ipse nec aliquis diligentium se visitaret eam ipso die: quod & factum est, excepto præfato puero Baldewino, qui ipsi usque ad mortem serviebat. Itaque a septima fere hora ejusdem diei de mane usque circa horam quartam post meridiem, qua moriebatur, fere viginti vicibus vomuit materiam satis viridem, quam de felle putabat exivisse. Dixit autem mihi præfatur Confessor ejus, quod, [sola, ut petierat, moritura,] per quatuor vel quinque annos ante mortem ejus, audiverat eam Dominum rogantem, quod non nisi se solo & ipsa sciente moreretur; quodque pœnas & infirmitates suas multiplicaret, diesque suos abbreviaret, & horam mortis suæ acceleraret. Quod & factum est: nam omnibus absentibus [& prædicto D. Iohanne legente Vigiliis pro Matre Sororum de Schiedam, die præcedenti circa horam Vesperarum defuncta], obiit.

[141] Dum autem frequentes illos vomitus, sicut prædictum est, [post magnas angustias,] pateretur; præfatus puer porrigebat ei testam, in quam vomebat, & effusa per vomitum exportabat. Adeo autem angustiabatur in ipsis vomitibus, quod conquerendo dicebat puero, ministro suo: Carissime fili, utinam sciret Dominus meus quantum gravor. Dicebat autem hoc de prædicto D. Joanne Confessore suo. Cumque turbatus interrogaret eam, an D. Iohannem vellet advocari; tandem adveniente ultimo vomitu, tantam in eo difficultatem patiebatur, quod materiam in gutture collectam non valens ejicere, cœpit ex ea suffocari. [invenitur subito defuncta;] Quod cernens præfatus puer, suspicatus eam statim morituram, flens cucurrit & nuntiavit D. Iohanni ac ceteris domesticis. Qui cum similiter flentes accurrerent, invenerunt eam jam agonizantem. Tunc D. Iohannes,

apprehensa manu ejus, petiit ab ea signum an viveret, vel an vellet inungi. Cumque illa reticeret, accenso lumine ac mediante lucerna applicato a posteriori parte capitis ejus (putabat enim eam adhuc vivere, & ideo non posse sufferre lumen) invenit eam jam defunctam. Ab instanti autem quo ultimo loquebatur usque ad expirationem ejus, vix intercessit tantum temporis, quo bis vel ter Psalmus, Miserere mei Deus, legi potuisset.

[142] [14 Apr. 1433.] Obiit autem XVIII kalendas Maji, videlicet feria tertia infra octavas Paschæ, post Vesperas, circa quartam horam, anno Domini millesimo quadingentesimo trigesimo tertio, ætatis vero suæ anno quinquagesimo tertio, [qui secundum cursum festivitatum completus fuerat in die Palmarum ante mortem ipsius. Et convenienter satis in festivitate Paschali obiit, ut quæ particeps fuerat passionum Christi, etiam cum Christo, in sancta festivitate Resurrectionis ejus, ad æternæ vitæ gaudia transiret. Obiit vero completis ab exordio ægritudinum suarum triginta octo annis, in principio anni trigesimi noni.]

CAP. XL

[143] Post mortem autem ipsius, mirabilia quædam inventa sunt circa eam. [& brachium, quod pene immobile fuerat,] Nam per multos annos ante mortem ejus, dexterum brachium ipsius omnino mortuum erat, ita quod non poterat illud movere; adhærebatque junctura scapulæ ipsius, ut putabatur, mediante unico nervo vel consimili modo satis debili. Quo tempore intrabat ad eam chirurgicus quidam, fama mirabili, quæ de ipsa volitabat, attractus. Qui [consideratis circumstantiis ejusdem brachii & divina confisus misericordia, dicebat se scire remedium pro curatione ejusdem brachii; sic tamen quod oporteret eam pro læsura superiori ipsius brachii, recipere aliam inter cubitum & manum ejusdem brachii. [statui

naturali redditur,] Quod cum illa gratanter acciperet (malebat enim salva voluntate divina læsuram habere a chirurgico prædictam, quam antiquam, ut saltem aliquo modo posset uti manu illa) chirurgicus supradictus] superposuit illi juncturæ duo emplastra, de balsamo, ut creditur, confecta: quibus eadem junctura successu temporis est solidata. [Habebat quoque fracturam in inferiori labio oris, de qua supra dictum est Capitulo VII: quæ etiam duobus aut tribus emplastris ex eodem unguento curata est.]

[144] Suscepit autem pro primo incommodo brachii aliam læsuram, sicut chirurgicus prædixerat, inter cubitum & manum ejusdem brachii: adeo tamen molestam, quod ipsa idem brachium dextrum sive manum ejus, cum sinistra manu sua apprehensum, [(prout ante mortem futurum sperarat)] difficillime poterat movere. Solita tamen erat dicere, se sperare quod adhuc ante mortem suam Deum erat laudatura cum utroque brachio extenso: quod & factum fuit, sicut apparuit post mortem ejus. Nam [cum brachium ejus dextrum multis annis immobile jacuisset, nec nisi vix per tres homines moveri potuisset; postea autem per translationem læsuræ aliquantum mobile factum fuisset: post mortem tamen ejus nudato corpore, contra omnem spem, & nemine sciente quomodo id factum fuerit], inventa sunt ambo brachia ejus quasi complicatis manibus & digitis circa pectus ejus; unum videlicet brachium cum manu ejusdem ab una parte pectoris, & aliud cum alia manu ad alteram partem pectoris, digitis utriusque manus incurvatis.

CAP. XLI

[145] [Sicut supra dictum est Capitulo IX] multis annis ante mortem suam; [cingulum cilicinum mirabiliter ablatum.] videlicet fere triginta annis, usa fuerat ad carnem pluribus cilicinis cingulis; quorum ultimo, a

præfato D. Ioanne comparato, circa triennium accincta fuerat. Cum ergo defuncta esset & nudata, ut pro sepultura revestiretur, invenit idem D. Ioannes & qui cum eo aderant, circa scapulas ejus prædictum cingulum cilicinum, solutum quidem a corpore ejus, modo hominibus ignoto; sed integrum, & rotundum, & non solutum a vinculis ligaturæ ejus. Petierat etiam, multo tempore ante mortem suam, a sæpe dicto D. Ioanne, quod non pateretur eam post mortem suam longam facere moram super terram; sed statim procuraret eam vestiri & sepeliri secundum modum ab ea dispositum. Quod cum ille libenter fecisset, [Obstantibus ne statim sepeliatur Rectoribus urbis,] exigente tamen violentia Rectorum civitatis (præceperant enim sub pœna bonorum & capitis, ne eam de loco moveret) corpus remansit in straminibus, sicut fere per viginti annos jacuerat vivum, usque mane feriæ quartæ; quando erat more solito vestitum & in sarcofago ligneo reconditum, ac in eodem loco ubi jacuerat repositum.

[146] Vestitum vero est idem corpus venerabile, more religiosarum Sororum, in tunica lanea, [corpus decenter indutum,] desuperque accinctum cingulo cilicino, cujusmodi in vita ad carnem uti solita erat: posito supra caput ejus pileo sine mitra quadam de a franceno, in cujus ambitu cum incausto nigro scripta erant gloriosa nomina, IESUS & MARIA, pluries; quorum radiis corda depicta, quasi jaculis sive sagittis transfixa erant. [Hæc autem omnia, scilicet sepulturæ suæ necessaria, pluribus annis antea circa se præparaverat, sicut supra dictum est Capitulo XXVI b]. Sub capite vero ipsius, [sicut desideraverat] positus est sacculus quidam cum lacrymis ejus sanguineis, suaviter redolentibus, quas rosas appellaverat: [quas ex oculis ipsius successu temporis defluentes, & super genas ipsius coagulatas, D. Ioannes Confessor ejus, cum communibus lacrymis emollirentur,

abradens, in sacculo reconditas, in scrinio penes se reservaverat.]

CAP. XLII

[147] Prædixerat vero, quod, sicut omnes ceteri, cum maximis pœnis moreretur, [& omnibus morbi vestigiis abolitis speciosissimum] & quod nulla contingerent miracula in ejus morte: quod & factum est. Facies tamen ejus nullum mortis pallorem seu colorem prætendebat; sed quasi oleo vel vernicio linita fuisset, tanto splendore & recenti albedine radiabat, ut neque facies communis hominis mortalis aut defuncti mortalis videretur; sed, ut aspicientes dicebant, quasi similitudo hominis glorificati: agebant enim numquam tam speciosam imaginem vidisse. Unde licet multi pluries accesserint ad eam videndam, tamen, ut dicebant, non poterant ejus aspectu satiari. Similiter & totum corpus ejus eadem albedine similique splendore radiabat, [atque integerrimum,] prout a sorore præfati D. Joannis, Sela nomine, accepi: tantaque gratia sanitatis & decenti carnositate refulgebant omnia membra ejus. Fractura videlicet frontis ejus [de qua supra dictum est Capitulo VII,] pedes quoque & crura, manus & brachia, collumque rugosum, ac totum corpus ita integrum apparebat, quasi numquam quidquam infirmitatis in eis fuisset vel læsuræ; excepto quod in vulnere seu læsura dextri brachii ejus, & in uno vulnere quæ sibi Picardi intulerunt, cicatrices, parvæ ad modum fili, apparebant. Habebat autem prædictus D. Joannes tres naturales sorores, quæ dum cum aliis quibusdam hoc venerabile corpus custodirent, ex aspectu illius & præsentia, tanta gratia replebantur, quod toto hoc tempore, videlicet a transitu illius usque ad sepulturam, nec fame nec siti nec somnolentia gravabantur; sicut a præfata Sela accepi, quæ erat una ex eis.

CAP. XLIII

[148] Comperta autem morte illius, ac fama gloriæ corporis ejus, [magno undique concursu visitur,] de qua prædictum est, longe lateque volante, toto hoc tempore quod intercesserat a transitu ejus usque ad sepulturam, etiam usque ad mediam noctem, tantus concursus hominum fiebat ad eam de Rotterdam, de Delft, de Leidis, & de Brielis, ac de aliis circumjacentibus civitatibus & villis, quod, propter diversitatem taxantium eorundem numerum, non audeo millium numeros explicare. Pueri quoque trium aut quatuor annorum, quasi ad ambulandum procincti, tam affectuose currebant; quod etiam homines provectæ ætatis incitabant ad visitandum tantas Reliquias. [etiam puerorum:] Ingressi autem domum, in qua funus erat, quia statura pusilli erant nec erigere se poterant, ut corpus sanctum in lecto vel in loco in quo positum erat viderent; vociferantes quam plurimi dicebant, Nonne ego videbo Virginem hanc, pro qua videnda de Rotterdam vel Delft, &c. veni? Tunc adstantes levaverunt eos ad videndum eam, ac postquam vidissent, cum eleemosynis albi panis remiserunt ad propria. Sed & matrona quædam cum parvulo suo, ætatis unius anni & trium mensium, cum advenisset; infantulus ille, manibus complicatis & facie ad funus conversa, oculos suos ita reverenter & seriose in illud retorsit, quod ii qui ipsum funus custodiebant, devotionem infantuli videntes & admirantes, movebantur in lacrymas.

CAP. XLIV

[149] [Propter patientissimam tolerantiam eorum quæ continuo patiebatur, [sed ad contactum immundæ personæ aliquid splendoris amittit.] & quotidianam cum sanctis Angelis familiaritatem, atque in cælestibus conversationem, ad tantam hæc beata Virgo puritatem pervenit, quod quemadmodum qui tangit picem inquinabitur ab ea; ita & ipsa immundorum hominum manibus plerumque attrectata, visibiliter maculabatur.

Nam cum adhuc ipsa vivente nonnumquam talium manibus manus ejus tangerentur, per biduum vel triduum nigræ maculæ, prius in ea non visæ, in manibus ejus remanserunt. Sic & post mortem ipsius, cum, sicut dictum est, facies ejus tanto splendore radiaret; accedens quædam femina cum aliis visitationis gratia, quinquagenarium suum, quod vulgo Pater noster dicitur, super faciem ipsius ex devotione, ut putabat, circumduxit: statimque illa facies ex illo contactu successive notabiliter est obscurata. Quapropter cum corpus ejus in ecclesia positum, ad adstantium aspectum, per apertionem sarcofagi, postularent quidam manifestari; ceteri, qui hujusmodi noverant, aperiri prohibuerunt; timentes ne, si amplius obscurata fuisset, alii scandalizarentur.]

CAP. XLV

[150] Tandem feria sexta infra prædictas octavas Paschæ, quarta videlicet die transitus sui, post celebrata devotissime solennia Missarum diei, sepulta fuit, hora duodecima in meridie [(exemplo Salvatoris, [Sepelitur feria 6 post Pascha,] qui completo cuncto mysterio redemptionis humanæ, feria sexta parasceves in meridie, defunctus fuit, & eodem die advesperascente sepultus) suadente & adhortante populum Priore, de quo Capitulo XIII XXXVIII dictum est, ut pateretur eam sepeliri, atque ab eodem sarcofago ante sepulturam firmiter obserato. [honestam in tumba supra terram,]] Sepulta est autem in Australi plaga cæmeterii ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Schiedam, in fossa, desuper opere lapideo a cæmentariis operta: nec fuit sanctum corpus ejus terra desuper opertum, nec etiam inferius terram tetigit, sed positum erat super trabes quasdam sive ligna in fossae latitudinem intrinsecus extensa. Petierat enim ante mortem suam, ut quemadmodum ipsa in triginta annis terram non tetigerat, ita nec ipsam defunctam terra

tangeret aut operiret. Superior autem pars sepulcri ejus, quæ scilicet supra terram est, opere lapideo duobus fere cubitis elevatur, & saxo rubeo operitur. Tumba autem ipsa interius satis decenter ornata fuit, videlicet rubeis crucibus, quales in ecclesiis dedicandis solitum est fieri.

[151] Post sepulturam ejus, cum sepulcrum ejus multis visitationibus & diversis diversorum oblationibus honoraretur; Rectores ecclesiæ consilio inito, [supra quam altare & sacellum struuntur.] sequenti anno scilicet millesimo quadingentesimo trigesimo quarto, capellam lapideam, circa festum decem millium Martyrum fundatam, cum altari super tumbam ejus construxerunt, tendentem a choro, inter duo pilaria seu columnas ecclesiæ, ad sepulcrum.

[152] [Hæc pauca de multis & quasi innumerabilibus modica dixisse sufficiat. Nam (ut verbis ipsius, [Epilogus auctoris,] quibus de his ipsis quæ circa eam divinitus gesta sunt dicere solebat, secundum veritatem utar) omnia quæ de quocumque statu ejus dici poterant, quasi folia sunt de arboribus fluentia, quarum radices videri non valent: sunt & veluti spicæ, quas Sancta Ruth post terga metentium & manipulos ligantium colligebat, quæ revera valde paucæ sunt respectu manipulorum. Ut enim ex præcedentibus patet, post novemdecim quasi annos ægritudinum suarum a principio, quibus tam parco & superhumano cibo potuque utebatur, [cum synopsi excellentium ejus virtutum,] per reliquos fere novemdecim nullo cibo vel potu utebatur, nec corporalia superflua nisi per vomitum emittebat. Et hoc quanti ponderis sit quis explicabit? Sic & divinas consolationes ejus, quas per contemplationem experiebatur, in quibus fere per viginti quatuor annos quotidie quasi in paradysum & ad cælestia gaudia, ad visiones purgatorii quoque & inferni rapiebatur, quis enarrabit? Ineffabilis quoque erat caritas ipsius, qua, cum Apostolo supplens ea quæ desunt

passionum Christi in corpore suo, tanta pro redimendis animabus a pœnis patiebatur. [Col. 1. 24] Sed & ipsis quoque qui in hac vita paupertate vel squallore variarum miseriarum vel infirmitatum ac tribulationum premebantur, quantum compassionis affectum & opem pietatis pro posse exhibuerit, satis liquet ex præcedentibus. Unde pro his omnibus copiosa mercede, multipliciter a Patre misericordiarum in cœlis jam recepta, remunerari non ambigimus: quin etiam eandem voto quo possumus merito rogare debemus, [& invocatione Sancta,] quatenus pro nobis pauperibus & infirmis Dominum exorare dignetur, ut & nos ad misericordiam Domini pervenire post excessum miserabilis vitæ hujus valeamus. Quod nobis concedat, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus in saecula. Amen.]

APPENDIX

Tria miracula, ad invocationem S. Liduinæ facta, & per Thomam a Kempis descripta.

[153] Sed jam ad comprobendam hujus virginis sanctitatem, dignum omnino videtur, in fine libri adnectere de multis signis tria notissima miracula, ad honorem Dei & istius sacræ virginis laudem: quæ ex fide dignorum, perhibentium testimonium sanctitati ejus, verissima probantur, & per ora multorum referuntur, breviter Deo cooperante in Hollandia facta.

[154] Fuit in civitate Delfensi virgo quædam, quæ octo annis continue lectum tenens, [Incurabilis agritudo] graviter ægrotavit. Hanc quatuor magistri, in medicina periti & famosi nominati, visitabant; & humana pietate permoti, magis autem amore Dei inducti, succurrere ei cupiebant. Erat autem ægrotudo istius Virginis, prædictis jam magistris omnino occulta; nec aliquis eorum poterat

dare aliquod remedium, quod potuit ægrotanti prodesse. Inter quos unus magistrorum, magister Wilhelmus Sonderdanc, Doctor approbatus, multum admirans dixit Virgini prædictæ: Tu nondum tanto tempore passa es tantos dolores, sicut felix illa virgo Lydewigis: propter cuius merita, jam Dominus facit multa miracula in partibus nostris. Virgo igitur ægrotans hæc audiens, ex propria devotione, aut potius divina inspiratione accensa, legit tot orationes Dominicas, [Sancta apparente sanatur.] (Pater noster vulgariter dictas) quot sunt membra in corpore hominis, ad honorem Dei & istius sanctæ Lydewigis virginis. Contigit ergo post hæc, quod felix Lydewigis virgo apparenter visitavit virginem languentem, dando ei remedium artis medicinæ, & veraciter curata surrexit sana, ambulans, comedens, & opera sanarum virginum exercens. De quo magister supradictus valde stupefactus, hoc ipsum verissimum esse testatur.

[155] Secundum miraculum contigit a Goudæ, in notissima civitate Hollandiæ. [tibia contracta] Erat ibidem in claustro Virginum monialis quædam, quæ habebat contractionem nervorum in una tibia: cuius tibia fuit ita incurvata & contracta, quod ire non poterat, nec eam quovis modo ad longitudinem alterius extendere ad spatium duarum palmarum. Ista libenter visitasset medicum istum magistrum Wilhelmum Sonderdanc prænominatum (qui antea unam de eadem domo in Delft sibi transmissam, cum remediis artis suæ & Dei gratia auxiliante, in spatio octo septimanarum curavit) sed a Superioribus suis non poterat licentiam obtinere. Contristata igitur flevit amare pluribus diebus, quia clauda maneret omnibus diebus vitæ suæ, ut æstimabat, sic existens male contenta. [restituitor:] Tandem venit felix illa Virgo Lidewigis de nocte, loquens cum ea & dicens: quod impetraret a Sororibus, ut quælibet monialis illius domus legeret quinque Pater-noster & Ave-Maria, ad

honorem Dei & ipsius virginis Lydewigis; atque in Dominica die in propriam ecclesiam se portari faceret, sicque sanitatem tibiæ claudæ recuperare deberet. Quod incunctanter actum est. Nam licentia a Confessore suo obtenta, portata fuit ad ecclesiam, ut Lydewigis ei per revelationem dixerat: & sub Missa subito perfectam sanitatem tibiæ suæ acquisivit; per semetipsam lætissime exiens, ac gratias maximas Deo referens, qui per merita hujus felicissimæ virginis Lidewigis istud miraculum operatus fuerat.

[156] Tertium vero miraculum Leydis contigit, in oppido celebri partis Hollandiæ. In hac populosa civitate fuit virgo religiosa, quæ habuit in collo duritiem cancrosam, ad quantitatem magni pomi; sic quod nec bibere aut comedere poterat, aut se inclinare, quin volebat suffocari, ex nimia angustia anhelitus. [Cancrosa colli durities emollitur.] Ista venit nudis pedibus & sine lineo ad sepulcrum prædictæ sanctæ Virginis, pro auxilio impetrandæ sanitatis: quo non obtento recessit cum magna tristitia, ignorans quæ bona sibi essent ventura. Nocte sequenti post recessum suum a sepulchro, & somno habito expergefata, fuit plene curata ab illa cancrosa duritie, quam passa fuerat octo fere annis, sicut notum est multis. Hanc virginem miraculose curatam, supra memoratus magister Wilhelmus Sonderdanc, Doctor in medicinis, oculis suis vidit, & collum ejus manibus tetigit: qui etiam testimonium fidelissimum perhibet scriptis suis de omnibus præmissis, dicens: Testor Deum, quod ista tria acta sunt in brevi tempore: sed & alia plura, quæ vidi oculis meis, longum esset enarrare. Hæc supra scripta miracula contigerunt, Deo innovante signa in diebus nostris, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo: præsidente in sede Apostolica sanctissimo Papa Nicolao quinto, Pontificatus ejus anno secundo.

[157] Hactenus Thomas a Kempis, quibus adde paulo recentius unum, postquam aliqua Vita jam impressa manibus vulgi terebatur, adjectum ad calcem Vitæ, quæ fuit Delfis in Hollandia completa anno Domini MCCCCLXXXVII, die III Martii. Ipsum est tale. Accidit ut frumentaria navis ab Orientalibus partibus ingressa mare Meridionale vela facere, sicut aliæ, non posset: [liber Vitæ ejus miraculose servatur.] inquirentibus in causam nautis, conspectus est liber S. Lidewigis fluitans supra mare; quam cum ejecta situla ad se attraxissent, recepissentque in navim; continuo illa prævolavit ceteras Amstelodamum, unde liber Schiedammum missus est.